No. 95. 314 22/P [R] N. 14

DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICO-PHILOLOGICO-LITERARIA

DE

CVLTV SERPENTVM APVD ANTIQVOS

VARIIS ANIMADVERSIONIBVS

ORNATA

AVTORE

M. IOH. CHRISTIAN. KOCH.

LIPSIAE,

APVD HAEREDES IOHANNIS GROSSII,
ANNO MDCCXVIII.

Conſpectus Diſſertationis Cap. Primi

Sect. I.

de Idololatriæ ortu in genere.

§. I. Autores recenſentur, qvi de Idololatriæ origine egerunt.
§. II. Derivatur ortus ejusdem a ſyderum cultu.
§. III. ab imaginibus, ubi incidenter de Theraphim, & cultu Imaginum apud Pontificios.
§. IV. a defunctorum, Majorum veneratione.
§. V. a cultu Angelorum, ubi quæſtio; Num Angeli e Lumine Naturæ demonſtrari poſſint?
§. VI. Originem Idololatriæ pro Diaboli verſutia admodum incertam eſſe, demonſtratur, & de ritu homines immolandi agitur.
§. VII. Noſtra conjectura proponitur, ſcil. ab animalium cultu idololatriæ incunabula repetenda eſſe. Obiter de veneratione canum, & comeſtione carnis antediluviana.

Sectio II.

§. IIX. Serpentes, & Dracones reliqua inter animantia culti. Cultus iſte derivatur.
§. IX. juxta qvosdam a timore.
§. X. à ſerpente ſeductore protoplaſtorum, ubi de Orgiis Bacchi.
§. XI. à ſerpente æneo, juxta nos.
§. XII. à nimia admiratione ſagacitatis ſerpentum.
§. XIII. Tranſitio ad

34390

Caput ſecundum cujus

Sectio I.

de gentibus Cultui ſerpentum adſvetis.

§. I. Auguſtini Teſtimonium de ſuperſtitione veterum aſſertur. Coluerunt autem ſerpentes.
§. II. Ægyptii.
§. III. Phœnices.
§. IV. Cretenſes, ubi obiter de Harduino, ejusque operibus nonnulla.

§. V.

§. V. *Iudæi. Explicatur Locus 2. Reg. XVIII. 4.*
§. VI. *Babylonii, inde de Historia de Dracone Babylonico, it. de Iosepho Gorionide.*
§. VII. *Romani, ubi de signis militaribus, & Draconariis Romanorum.*
§. IIX. *Germani veteres, obiter de Vandalis agitur.*
§. IX. *Ophitæ Hæretici.*
§. X. *Recentiores populi septentrionales, incidenter de Bernh. Connor Evang. medici, & Autoribus, qui de Relig. Moscowitarum scripserunt.*
§. XI. *Fidenses in Gvinea, h. l. de piis fraudibus Ethnicorum.*
§. XII. *Transitio & præparatio ad*

Sectionem II.
de ratione serpentes colendi.

§. XIII. *Venerabantur Templis in honorem eorum exstructis, ubi de Antiquitate Templorum Paganorum.*
§. XIV. *Sacrificiis oblatis.*
§. XV. *Geniorum loco habebantur, ubi varia de geniis veterum, & de serpente domestica, s. dem* Haus-Uncken.
§. XVI. *Auguria ex serpentibus capiebant. l. c. de Incantatione serpentum.*
§. XVII. *Deorum simulacris addebantur.*
§. XVIII. *de Caduceo Mercurii, it. de Baculis Deorum, & Mithræ sacris.*
§. XIX. *Serpentes in nummis veterum.*
§. XX. *In nummis recentiorum.*
§. XXI. *Transitus fit, qvem sequitur*

Caput III. ejusque
Sectio I. moralis.

§. I. *Summa Diaboli astutia expenditur.*
§. II. *Inimicitia, quam Deus Gen. III, 15. posuit, ad Diabolum, spectat.*
§. III. *Ab ineunte ætate cum Satana nobis est certandum, ubi de Cornu Danico, & Oldenburgico.*
§. IV. *Non sunt excusandi, qui sub simulacro serpentis Deum verum adorare voluerunt.*
§. V. *Christiani cultus hujus sese reos constituunt, prudentiæ spiritualis obliti.*
§. VI. *Qvi Corda Templorum loco Satanæ dicant.*
§. VII. *Qvi calumniando proximum lædunt.*
§. VIII. *Qvi famulos ancillasqve perfrictæ frontis alunt.*

Sectio II. Miscellanea.

§. IX. *Longævitati conducunt serpentes.*
§. X. *de lapillis in capitibus serpentum reperiundis.*
§. XI. *de serpentibus prodigiosæ magnitudinis.*
§. XII. *de serpentibus tintinnabulis instructis.*
§. XIII. *Remedia contra serpentum morsus, obiter de Circumforaneorum præstigiis.*
§. XIV. *Serpentes vitri instar fragiles.*
§. XV. *Serpentes hominibus admodum familiares.*
§. XVI. *Comitia serpentum.*
§. XVII. *Totius Dissertationis clausula.*

I. N. I.

I. N. I.

De cultu ſerpentum apud Antiquos.

INter Diaboli fallacias Thomas Crenius *Exercit. Sacr. Priora quædam Moſis tractant*: p. 27. hanc ſemper præ cæteris miratum ſe fuiſſe profitetur, quod ſerpentes eo usque dignitatis & majeſtatis provehere potuerit, ut Numinis inſtar haberentur & colerentur. Quin, ipſe Gentium Apoſtolus obſtupeſcit expendens ſecum miſerorum mortalium ſtultitiam, gloriam immortalis Dei per imaginem ad volatilium & quadrupedum, & reptilium ſimilitudinem effingentium Rom. I, 22. Ita proh dolor! Satanas mentes incredulorum faſcinare meditatus eſt, ut eadem, qua protoplaſtos decepit figura, coleretur, & ſic, quantum in ſe eſt, Protevangelio *de contritione capitis ſerpentis* illuderet. Hiſtoriarum ſiquidem monumenta inſpicientes cœcos Ethnicos eo dementiæ & ſuperſtitionis delapſos eſſe intelligimus, ut Dracones vel Serpentes divino honore mactaverint fictitiaque iſthæc Numina templis extructis, ſacrificiisque oblatis placare laboraverint. Nefario de hoc cultu paſſim Philologi præſtantiſſimi conqueſti fuerunt. Nemo verò peculiari ſcripto eundem expoſuit, quod ego quidem ſciam, præter *Summè Rev. Dn. Philippum Olearium*, cujus Diſſertatio de ὀφιολατρεία multifaria eruditione & lectione referta in omnium manibus eſt. Liceat jam ſpecilegium poſt meſſem inſtituere, & ex multorum varii generis librorum lectione annotata Philologiæ ſtudioſis communicare eo quidem ordine, ut TRIBUS CAPITIBUS omnia includamus horumque quodlibet DUAS IN SECTIONES dividamus. Divina ſcilicet adſpirante gratia, quam in limine ſta-

im ardentiſſimis imploramus precibus. CAPITE PRIMO *Originem*, ALTERO *Exiſtentiam & modum* nefandi hujus cultus exhibebimus, TERTIO demum *moralia* nonnulla ſuppeditabimus finemque *miſcellaneis de ſerpentibus* faciemus.

CAP. PRIMVM
de origine cultus ſerpentum.

SECTIO I.
de Idololatriæ ortu in genere

§. I.

ANte ſerpentum venerationis exordium, quam ab ultimis ſeculis repetamus de *Idololatriæ Origine* in genere nonnihil verborum facere haud ſupervacaneum erit. Sed verendum eſt, ne Lectoribus quibusdam Iliada poſt Homerum ſcribere videamur, cum viri eruditionis laude nunqvam intermoritura florentes argumentum iſtud jamdudum præoccupaverint. Quem enim latet *Gerh. Joh. Voſſii* opus eruditiſſimum? Quis in Re literaria adeò hoſpes, ut *Eduardi Baronis Herbert de Cherbury* librum *de Relig. Gentilium errorumque apud eos cauſis* A. 1663. ab Iſaaco Voſſio editum & 1700. recuſum, *Ant. van Dale* diſſertationes *de Orig. & Progreſſu Idololatriæ* Amſtelod. 1696. in 4. impreſſas neſciat? Quem denique fugit Celeberrimum *Banierium* A. 1715. iterata vice edidiſſe *Explicationem Hiſtoricam Fabularum earumque originem & conformitatem cum Hiſtoria antiqua*, & dialogo IV. *de Origine & Progreſſu Idololatriæ* accuratiſſime egiſſe? ut plures alios *Fabricio* & *Morhofio* laudatos prætermittamus. Noſtro in pectore non iſta ſedet temeritas, ut falcem in meſſem tantorum virorum mittere conemur. Paucula ſaltem ad præſens inſtitutum facientia delibare lubet.

§ II.

A prima ferè mundi ætate ſyderum cultum repetit *Anton. van Dale* Diſſert. I. *de Orig. & Progr. Idol.* Cap. I. p. 14. cui adſtipulatur *Jacobus Basnagius Antiq. Judaic.* Tom. II. Cap. II. pag. 391. ſcribens: *la beauté des Aſtres pouvoit e blouir aiſément les hommes du premier monde, le Soleil qui répando-*

it sa lumiere d'une maniere si éclatante, & pouvoit être regardé comme le Pe-re des moissons & des fruits que la terre aportoit aux hommes, devoit faire assez d'impression sur eux, pour leur faire regarder ces Astres avec beaucoup d'admiration, & on passe aisément de la veneration & de la reconnoissance au culte. Eum in finem in hanc descendit sententiam, ut ostendat homi-num antediluvianorum peccatum non in Atheismi, sed Idololatriæ de-formitate constitisse; Neque *Elias Benoist* Melang. *de Remarqves contre Mr. Toland* à Basnagio abludit. Solis ac lunæ reliqvorumve Syderum ve-nerationem superstitiosam rudes Caini posteros à veri Numinis cultu pri-mum abduxisse non dubium est (*); ante diluvium verò primordia ce-pisse Dn. D. Buddeus Hist. Vet. Test. Per. I. Sect. I. pag. 159. negat asseve-rans, verbum הוחל in loco Gen. IV, v. ult. (**) ad quem passim provoca-tur

(*) Mr. *Humphredus Prideaux* in *the History of the Jews* asserit, Pla-netarum cultum in Chaldæa cœpisse, postmodum in Ægyptum & Græciam, imò ex Oriente in Occidentem penetrasse, & sic idolo-latriæ semina in universum terrarum orbem sparsa esse. Vid. Mr. de *la Roche Bibl. Angloise T. I. P. I. p.* 12. *sq.*

(**) Celeberrimo Buddeo, quod attinet explicationem loci Genes. IV, 26. plurimi Theologorum adstipulantur B. nim. *Pfeifferus* in *Dubiis vexatis* p. 51. *Hackspanius Not. Phil.* P. I. p. 118. aliique. Fatetur & *Vockerodt Exerc. Acad.* p. 161. ægrè loci hujus sensum tueris qui ido-lolatriæ incunabula ab Enochi àvo capienda esse arbitrantur. Nescio proinde, quid Cl. *Reimanno* in mentem venerit *Hist. Literar. Ante-diluv.* Sect. I. pag. 16. contendenti argumentum eorum, qui Heno-chum Heterodoxiæ aut idolorum cultus reum faciunt, eâdem pro-babilitate gaudere, quà Theologorum Patriarchæ hujus memoriam sanctam habentium? Quis enim illum, quem Spiritus S. cum Deo ambulasse disertè asserit, tanti sceleris autorem constitueret? Quis probabiliter Heterodoxias accusari posse crederet, cujus Paulus fidem Hebr. XI, 5. tantis laudibus extulit? Judæorum commentum est, ad quod Reimannus provocat, omni assensu indignum atque à Theologis jam dudum profligatum. Vid. *Aug. Pfeifferi Exercit. de Henocho* cap. III. §. 6. *Heidegger. Exercit. de raptu Noachi*, qvæ IX. est in *Hist. Patriarch.* §. III. & IV. p. 255. Dicimus cum B. Ly-sero sensum verborum: *Tunc cœptum est vocare nomen Domini*, hunc esse: „Cainitas ad tempus sic prævaluisse, & Adamum cum suis „ tanta miseria oppressum fuisse, ut publicus Dei cultus ex ipsorum „

tur non per *profanatum est*, sed per *cœptum est* vertendum esse. De Siderum cultu autem religioso p. 242. ita disserit: *Solis, lunæ, hinc planetarum cultus prima haud dubio & antiqvissima fuit idololatriæ species. Haud obscure id colligere licet ex verbis Jobi* cap. XXXI, 26. 27. Nos uti nemini ea de re litem movebimus: ita contra Basnagium defendimus, homines in priori mundi cataclysmo viventes magis ad Atheismum, quàm superstitionem pronos fuisse. Quomodo enim de Atheismo eorum dubium oriretur. cap. VI. & seq. Geneseos paulo curatius pensitanti? iste jam in Caino altas radices egerat. vid. *Ant. Reiser. Epist. de Orig. Atheismi*, ita ut successu temporis novas subinde vires ceperit, quin in Theoreticum facile degenerare potuerit.

§. III.

Idololatriam Ethnicorum *ab imaginibus* ortum traxisse *Jacobus Owenus* cap. III. the History of images s. *de Historia imaginum earumque cultus* ex Rom. I, 23. ostendere conatur Tertullianum in suas partes vocans Imagines & idololatriam ante diluvium fuisse asserentem. *Joh. Amos Comenius* quoque in Tract. quem unum necessarium inscripsit cap. II. pag. 17. *maximam partem per imagines Deorum multitudinem in orbem invectam esse statuit*, addit tamen lingvarum multitudinem minus rectè, ut opinor. Licet enim homines dispersi seorsim habitaverint, & vernaculæ obliti fuerint, retinuerunt tamen memoriam, & tùm ideam Dei innatam, tum veri & Patriarchis patefacti acqvisitam. Imaginum cultus teste Svida in voce Αβραάμ cepit à *Selucho* & viguit usqve ad tempora Thara patris Abrahami. Priscos Idololatras de astros suos sub variis simulacris coluisse nullum mihi est dubium Labani *Theraphim* (*) vitulum aureum, & similia cogi-

„parte totus conciderit, nec licuerit ipsis palàm convenire, sed „quod privatim tantùm orarint. Sub Enos autem, cum etiam ex „Adami parte homines multiplicati essent, instituta est reformatio re„ligionis, collecta est Ecclesiola, apud quam in lucem reducta pri„ma promissio. vid. *Ejusd. Adamum* p. 455.

(*) Labani Theraphim imagines vel statuas idololatricas fuisse omnem extra dubitationis aleam positum arbitror, quanquam P. Jurieu conjectura non adeò firmo talo niti videatur, icunculas istas pro imaginibus Noæ, Semi, aliorumve Patriarcharum venditantis *Hist. Critiq. des dogmes, & Cuetes* P. III. Sabii simulacra Dæmonibus consecrata carminibus animabant eaqve loqventia veluti faciebant. Hæc cum

cogitanti. Ipſe ſanctiſſimus legislator Iſraëlitas ab eo arcere clementiſſimè in verbis Exod. XX, 4. 5. voluit. David ſanctiſſimus Rex atque vates in ea invehitur Pſ. CXV, 4. ſq. inquiens: *Os habent, & non loqventur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient &c.* Ita ſane imaginum veneratio apud gentiles invaluerat, ut etiam in corruptam Pontificiorum Eccleſiam tranſierit ibique jamdudum altiſſimas egerit radices (*) vid.

Labanis Teraphim *D. Adam Tribbechovius* Hiſt. Natural. Cap. III. §. 4. p. 10. componere haudqvaqvam veretur. Inter Taliſmas Arabum, & Theraphim Hebræorum nihil diſcriminis intercedere *Joh. Henr. Hottingerus* ſtatuit. *Hiſt. Orient.* L. I. cap. VIII. Plura dabunt *Claudius Frasſenius* in *Diſquiſit. Biblic.* in Pentatevch. ad cap. XXV. Geneſ. v. 22. *Joh. Mich. Dillherr.* T. 2. Diſp. p. 345. *Aug. Pfeifferus Exerc. de Idolis Labani, quæ Rahel* ſuffurata *in Dub. vexat.* p. 1037. ſqq. reperiunda, & qui primo loco nominandus erat *Jac. Baſnagius* T. II. *Antiq. Judaic.* p. 558. ſqq.

(*) Imaginum cultui plerique Pontificiorum ſumma pertinacia inhærent. *Burghaberus* è Soc. Jeſu Theol. Polemic. controv. XLIV. p. 289. his verbis ſuam ſuorumque mentem explicat: *Qvando imagines formaliſſimè ſumtæ ut ſcil. exercentes munus imaginis, proprio cultu adorantur, tunc non ſolum externa ſigna, ſed etiam internus affectus ſubmiſſionis & reverentiæ verè circa imaginem ſimul & ipſum exemplar tanqvam circa adæqvatum terminum ſeu objectum, ut qvod, verſantur, adeoqve utrumqve verè & proprie eodem cultu colitur.* Errorem hunc fruſtra excuſare aut lenire laborant Pontificii Gallici. Abb. *de Lanion* controverſiam hanc pro proletaria pronunciabat, cum Jaqueloto neque ex ſcriptura neque Traditione iconolatriam probare valeret. Vid. *Bælii Lettr. Chois* p. 561. Non patitur inſtituti ratio, ut fuſiùs in deformitatem cultus imaginum inquiramus. Sufficiat ſcripta quædam adverſus illum concinnata allegaſſe. E Pontific. cohorte Autor *Entretiens de Philarethe & Philerene* Dial. IV. eundem improbat. E Noſtris B. *Joh. Schrœderus Apodixin Theologicam geminam de imaginibus ad habendum, non ad colendum* A. 1606. edidit. B. *Joh. Matth. Meyfartus diſſ. nonnullas de Reliq. imaginum, & ſtatuarum cultu* A. 1634. conſcripſit. Conf. B. *Danhaueri Lac Catechet.* P. I. p. 189. ſqq. Dn. *Alberti zum Felde diſſ. de cultu Imagin. Antichriſtiano.* Kilon. 1712. Reformatos inter evolvendi ſunt. *Dan. Chamier in Panſtrat. Cathol.*

Vid. præter *Nicol. Hunnium* doctissimum *Mussardum* Gallum, cujus liber lectu jucundus 1695. germanicè versus sub hoc titulo prostat: *Gründliche Vorstellung der vor Zeiten aus dem Heydenthum in die Kirche eingeführten Gebräuche, und Ceremonien.* Primis quidem temporibus statim sub simulacris vel statuis venerati sunt Gentiles Numina ficta, quanquam apud Romanos sequiore demum ætate. Vid. *Joh. Sartorii Schediasm. de Hypocr. Gentil. circa cultum Deorum*, c. VII. p. 134. sq. Varronem dixisse: Qui primi Simulacra Deorum populis posuerunt eos civitatibus suis & metum demsisse & errorem addidisse, Deos enim facile posse in simulacrorum stoliditate contemni, Augustinus Autor est de Civ. Dei L. cap. IX. & XXXI. Maximopere tamen dubitamus, imagines idololatriæ ansam suppeditasse, easdem ad *effectum* magis quam *causam* peccati tam enormis referentes.

§. IV.

Imaginum cultum superstitiosa majorum veneratio generabat. *Cum ex mortuorum desiderio constituerentur imagines simulacrorum usus ortus est*, Augustinus ait L. XXII. *contra Faust. Manich.* T. VI. oper. p. m. 398. A. Et sane haud infimæ caveæ eruditi universam Idololatriæ sentinam à nimio defunctorum honore profluxisse existimant. Ipse Autor Sapientiæ Salom. cap. XIV, 14. 15. à partibus horum stare videtur inquiens: Κενοδοξία γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ διὰ τοῦτο σύντομον αὐτῶν τὸ τέλος ἐπενοήθη. Ἀώρω γὰρ πένθει τρυγοίμενος πατὴρ τοῦ ταχέως ἀφαιρεθέντος τέκνου, εἰκόνα ποιήσας τὸν τότε νεκρὸν ἄνθρωπον νῦν ὡς θεὸν ἐτίμησε, καὶ παρέθωκε τοῖς ὑποχειρίοις μυστήρια, καὶ τελετάς. Ad Tharam Abrahami patrem *Cyprianus*, *Epiphanius*, *Chrysostomus* aliique Ecclesiæ patres Autorem Sapientiæ respicere putant, is enim ex mente eorum defuncto filio Harani imaginem vultum suum referens dicabat, quasi in Deorum numerum esset cooptatus. Tharan à Superstitionis crimine non fuisse immunem credimus, an autem filii imaginem pro Numine coluerit, vel Abrahamum ad sceleris societatem pertraxerit? (*) non liquet. De *Syrophane* Ægyptio

---

P. Jurieu Preservatio contre le changem. de Relig. p. 134. sqq. *Amand. Polan. Syntagm. Theol.* L. VI. cap. X. p. m. 1131. sqq.

(*) Tharam Abrahami patrem exercitatissimum sculptorem arteque sua ad Idola fabricanda abusum fuisse Hebræi uno ore tradunt, vid. *Basnagium l. c.* T. 2. p. 538. Nonnulli apud *Wagenseilium* in Sota p. 192. addunt eorum venditione quæstum fecisse maximum; sed fabulam

ptio *Diophantes* Lacedæmonius memoriæ prodidit, eum post repentinum filii discessum simulacrum conflasse, idque in honestiore ædium parte reposuisse. Quodsi contingeret, ut servi ancillæque, quarum magna turba utebatur, criminis quicquam committerent, omnem effugiebant pœnam, dummodo imaginem dictam floribus conspergerent vel sertis coronisque honorarent Vid. *Gvil. Stuckium Sacrif. Gent. descript.* p. 361. *Zimmermanni Analect. menstr.* mens I. N. LVII. ubi Deorum simulacra statis diebus ornata perhibet. Ipsius Baal Idoli famosissimi veneratio inde ortum duxit, si Hieronymo fides habenda ad Ezech. XXIV. T. V. Oper. p. m. 558. commentanti: *Idolum autem Baal, sive Bel, & ut apertius dicam, Belis Assyriorum religio est, consecrata à Nino Belis filio in honorem Patris.* Recentiores inter P. *Tourmenine* superfluum defunctis exhibitum honorem idololatras fecisse statuit. Vid. *Explicat. Historiqv. des Fables* Entret. IV. Quicquid hujus sit, quantum superstitiosa majorum veneratio valeat, non sine damno Ecclesia experta est, inquam nimium martyrum æstimium ἁγιολατρίαν invexisse (*) patet.

§. V.

---

hanc omni fundamento destitui Summè Rev. *Dn. D. Buddeus Hist. Vet. Test.* Per. I. p. 248. monuit. Quæ cum ita sint, quid de traditione, qua Abrahamus in patris absentia idola fregisse asseritur, habendum sit? patet. Videatur de ea *Greg. Michaëlis in Notis ad Gaffarell. Curios. inaudit.* p. 194. sq. Altioris indaginis quæstio videtur: Num Abraham ipse ad tempus peregrinos coluerit Deos? affirmat eandem B. *Martin. Chemnitius* Exam. Concil. Trident. P. I. p. 134. nec non B. *Joh. Petr. Grunenberg.* Dissert. *de peccatis Heroum fidei eminentibus* §. XXII. p. 36. Negant alii, celeberrimo *Fabricio Codic. Pseudepigraph.* V. T. pag. 336. sq. laudati. Multa hic occurrunt fabulosa, quorsum relatio de Abrahamo à Patre accusato, & à Nimrodo in ignem ardentem conjecto spectat, de qua vid. *Georg. Eliez. Edzardi Adnot. ad* cap. I. Avod. S. p. 187. Plura verò incerta. Ad locum Jos. XXIV, 2. à dissentientibus multa solent excipi. Hinc omnem rem in medio relinquere, quam Mose tacente certi quid definire malumus.

(*) Martyres pia & quidem haud immerito venerabatur antiquitas, memoriamque eorum sanctam habebat. Eò spectabat prælectio nominum defunctorum ex δυπτύχοις vel sacris tabulis, de qua vid. *Qvendstedium de Orat. & oblationibus pro defunctis* §. 6. B. Dorscheum *de Missa* cap. XI. §. 1. p. 338. Sed seculo IV. in maximum abusum vene-

§. V.

Aliam Idololatriæ originem assignat *Joh. Clericus Comp. Hist. Univers.* p. 9. sq. Conjicit enim homines præter Deum summum mentes quasdam separatas credidisse, quæ legatorum instar ad terræ incolas mitterentur (*). Has initio magno honore afficiebant, quod Hebræorum gens quoque haud intermittebat. Sed cum in eum demum delapsi essent errorem Angelos Deos minores esse, quibus Imperiorum, urbium, familiarum cura à Deo ὑψίστῳ demandata sit, paulatim supremi Numinis obliti minores illos Deos honore soli summo Deo debito afficiebant eorumque numero præstantissimorum Heroum mentes post obitum inseri sibi persvadebant. Qvo factum est, ut Reges defuncti colerentur. Hactenus Clerici mentem expo-

---

ratio illa declinabat; siquidem nonsolum Altaria in honorem & memoriam martyrum erigebantur. Vid. *Matth. Zimmerm. dissert. ad Tertull. Fiunt non nascuntur Christiani* Sect. II. §. 44. p. 23. sq. Sed laudes eorum quoque ad sepulcra decanebantur, quibus licentia poëtica accedebat, quæ ad paganorum morem demortuos nimium evehebat, cultumque demum superstitiosum invehebat. Vid. I. E. F. V. L. *Antiquit. circa Funera & Ritus veter. Christianorum* Lib. VI. Cap. VII. conf. omnino *Casp. Sagittarij dissert. Inaugural. de Natalitiis Martyrum* Cap. V. §. XIII. sqq.

(*) *Num existentia Angelorum natura nota sit?* hac occasione quæri posset. Nos probabilia argumenta Naturæ concedimus, apodictica verò soli scripturæ S. reservamus. Vide Systemata Theologica passim, & conf. Dn. D. *Joh. Schmidij dissert. de Angelis ex principiis philosophicis non demonstrabilibus*, it. M. *Joh. Davidis Hoheseil disp. An Angelorum Existentia ex Naturæ lumine demonstrari possit?* Contrariam tamen sententiam propugnare videntur *Ruardus Andala Syntagm. Teolog. physic. metaphysic.* P. III. Cap. IV. §. 9. p. 131. Aut. Pseudonymus *Franciscus de Cordua* in schrifft und vernunfftmässigen Gedancken von Schatzgraben, und Beschwerung der Geister p. 37. sq. & celeberrimus *Andreas Rudigerus physic. divin.* Lib. I. Cap. IV. Sect. IV. §. 71. sq. pag. 175. cujus verba dabimus: „Quoniam essentia, inquit, „adeoque & existentia rerum compositarum dependet à natura simpli„cium, & adeò naturaliter aliquæ res, quas forte Deus componi vo-

exposuimus, qui porro hariolatur, Angelos aliquando in statuis oracula (**) edidisse, illas autem demum reliquisse, cum ideo cultu divino sese affectos cernerent, successisse tamen in locum eorum angelos tenebrarum. *Unde* (sunt verba ipsius Clerici) *scriptura dicit, Ethnicos adorasse dæmonia, non quod Ethnici crederent, se adorare Naturas malignas, quas Diabolos vocamus, sed quia Diaboli soli eorum templa & statuas incolebant.*

---

luit, componi haud possent, si in principiis non omnes darentur „ possibilitates, probabile maxime est, Deum in constituendis rebus „ simplicioribus omnes observasse possibilitates, ne ad constituenda „ magis composita ullum possit deesse principium: Unica enim in „ principiis omissa possibilitas, vel mille alias compositiones impediis- „ set, quorum aliquæ forte fini Dei creatoris poterant respondere. „ Cum ergo Spiritus incompletus sit magis compositus completo, & „ ille secundum omnes possibilitates existat rationalis nempe & irratio- „ nalis, seu sola memoria præditus, credibile est, etiam minus com- „ positum, nempe completum, secundum easdem dari. Acutè philosopha- „ tur Vir doctissimus, verum rem universam, quam demonstrandam suscipit, meris probabilitatibus niti, fatebitur. Mentes piorum Dæmones fieri Gentiles credebant, & postmodum cuilibet hominem custodiendum assignabant. Exinde figmentum de Angelo tutelari ejusque cultu ortum. Vid. *Sontagii Sicil. I. de Spectr.* p. 4. Jam, quod ad cultum Angelis præstitum attinet, videndus omnino erit B. *Joh. Tob. Major in* dissert. de *Natura & cultu Angelorum ubi* §. CXIII. sq. ad superstitiosorum argumenta respondet, qui vel ideo Angelos divino mactarunt honore, quod Legatorum munere fungantur, Legatus autem sit locum tenens legati. Ipse Plato Angelos, seu Dæmones genus aërium tertiam atque adeo mediam obtinens sedem vocat, interpretum sive internunciorum munus sustinens, precibus colendum, prosperorum successuum causa. Clariùs *Apulejus* de *Deo Socratis* pag. 786. *Sunt quædam divinæ mediæ potestates inter summum æthera, & infimas terras, in isto intersitæ aëris spatio, per quas & desideria nostra & merita ad Deos commeant. Hos græco nomine δαίμονες nuncupant, inter terricolas cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant, hinc petitiones, inde suppetias: ceu quidam utriusque interpretes & salutigeri.* Nos duo notamus. Primum gentiles quicquid de Angelis in locis allegatis similibusve dixerunt, ex commercio cum Judæis didicisse, vel per κακοζηλίαν Satanæ imita-

§ VI.

Oleam & operam perdunt, qui Idolorum veritatem uni eidemque causæ assignare contendunt. Non enim dubium est, Diabolum pro eâ, quâ pollet, versutia, homines sub diversis cœli plagis viventes modo hac modo alia via à vero Deo abduxisse, ad suique cultum incitasse. Ad fœdissima ante omnia miseros mortales pellicebat peccata, quæ densissimæ in intellectu tenebræ, & turpissimæ in voluntate concupiscentiæ excipiebant. Deinceps notitiam veri Numinis per contemtum verbi revelati, quem continuò svadebat, sensim sensimque obliterabat. Cum autem ideam de Dei existentia innatam delere minimè valeret, ipse verò fastu pariter, ac invidia tumeret, creaturas pro Numine terricolis obtrudebat. Hoc pro ratione Temperamentorum, Regionum, vitæ generis, & victus, aut amictus indigentiæ dispari planè modo tentavit & præstitit. Barbaros ita quidem delusit, ut sub variis imaginibus & nominibus Principem tenebrarum Dei loco venerarentur

---

tos fuisse. Deinceps vocabulum Δαίμον interdum apud Philosophos & Poëtas Ethnicorum in sensu bono, nunquam autem in N. T. nisi in sensu malo occurrere. Quapropter Christiani de Angelis quoties scribunt, eodem abstineant, nisi cum Bodino & talis farinæ Naturalistis imperitis fucum facere, venenumque perniciosarum opinionum eò faciliùs Lectoribus propinare velint.

(**) Angelos bonos in statuis unquam oracula dedisse, perperam Clericus cum Spencero & citra scripturam sacram asserit. Quin, Autor Anonym. *Svite de la Response a l'Hist. des Oracles* P. II. Cap. XIII. pag. 354. sqq. multis rationibus è Scriptura S. & Scriptoribus profanis petitis statuas nunquam Oraculorum vicem sustinuisse evicit. Statuarum quidem futurorum præsciarum, *Mercurius Trismegistus* apud August. de Civ. Dei L. VIII. Cap. XXIII. mentionem injicit; ast respondet Anonymus l. c. p. 373. Trismegistum, quem pro Ethnico habet, indicasse, diabolos statuas incolentes per Pythones futura prædixisse, ita, ut statuis istud tribuatur, quod à Cacodæmone per Pythones præstitum fuit. Quomodocunque ista sese habeant, Angelos nunquam Oraculorum loco mortalibus fuisse, existimamus. Deus severissime usum eorum prohibuit. Neque ea in parte Clerico assentimur, quod Angelorum cultus Idololatriæ ansam dederit, siquidem certum est, hunc potius speciem, quam causam illius fuisse.

rarentur, cujus rei Hostiæ humanæ (*) incestus, scortationes in templis peractæ, & similia detestanda facinora fidem faciunt. Moratiores, qvos vocamus Gentes, variis S. paginæ historiis infabulas conversis ita decipiebat, ut solem & lunam sub mille nominibus Idololatricis adorarent, vel, si unicum Deum dari agnoscerent, verum tamen & in scriptura S. revelatum non reciperent, Judæos potius, & Christianos, quorum ministerio ex cimmeriis istis tenebris eripi potuissent, trucidarent, quin, omnia salutis media spernerent. Nolumus tamen à solo Diabolo Idololatriam derivare, probè intelligentes, ipsam naturam corruptam tanti criminis ream esse, mortalesque propria culpa Dei notitia excidisse. Modus autem quo istud peccatum deplorandum perpetratum diversus. Quæ cum ita sint *Matthæi Petitdidieris* sententiæ accedimus, qui *dissert. Historic. Critic. Chronol. in sacr. Script. V. T. dissert. XVI.* Idololatriæ originem parum certam esse monuit.

§. VII.

Primas divitias in numeroso grege ovium, arietum, taurorumque homines reponebant. Moses sane in enarrandis opulentorum facultatibus

 pecu-

(*) De more homines immolandi vid. *Basnagium antiq. Jud.* T. 2. pag. 606. sq. Celeberr. *Lochneri Papav. ex omni Antiq. erut.* pag. 149. 152. seq. *Gregor. Michaël. ad Gaffarell.* p. 104. sq. B. *Dietrich.* P. II. *in Libr. Sapient.* p. 361. sq. *Sartor. de Hypocr. Gentil. circa cult. Deorum* pag. 9. sq. *Andr. Beyeri Addit. ad Seldeni Synt. de Diis Syris* p. 249. sq. & plures alios Cl. *Joh. Jacobo Schudt* Lib. II. *vitæ Jephtæ* Cap. XXVI. p. 307. sqq. laudatos. Originem immanis hujus sacrificii Apologia nostra A. C. exinde deducit, *quia fortassis audierant quandam humanam hostiam placaturum esse Deum toti generi humano. Christophorus Pezelius* P. III. *Arg. & resp. Theol.* p. 213. tribus causis adhunc furorem incitatos fuisse Ethnicos, asserit. Primum κακοζηλία exempli Abrahæ, (id quod etiam contra Marshamum *Claud. Frassenius disquisit. Bibl. ad Genes.* defendit) deinde, quod obscuram famam promissionis de ventura victima retinuerunt, videlicet de Christo morte sua placaturo iram Dei. Postremò, quod ex ritibus sacrificiorum, quæ ex opere operato putarunt, placationem esse iræ divinæ, falsò ratiocinati sunt. Nos Apologiæ A. C. minimè contradicimus: Diabolum tamen homicidam fuisse ab initio, vel ex hoc capite cognoscimus, is enim cœcos idololatras seduxit. De variis Spurcis, quæ in Sacris suis admiserunt Gentiles, Vid. *Dn. D. Zeibichii dissert. de* Ἀλόγοις Gentil. Sacr. N. XI. p. 25. sq.

pecudum ab initio ſtatim mentionem facere ſolet. Sic de Abrahamo legimus, quod fuerit *gravis valde* i. e. *abundans pecoribus* Geneſ. XIII, 2. & Eliezer coram Labano & Bethuele Herum ſuum extollens de jumentorum multitudine citius, quam de auri argentique copia diſſerit Gen. XXIV, 35. Quem quæſo latet ante pecuniæ uſum mercedum permutationem obtinuiſſe, & pecora æris ſignati loco fuiſſe, ita, ut adhuc hodie *pecunia à pecu* dicatur? Vid. *Barthol. Beverini Syntagm. de Ponderibus & menſuris* A. 1711. editum ſtatim ab initio, ubi de origine pecuniæ agit. Neque apud Patriarchas eorumque familias ſolum pecudes in magno erant precio, ſed etiam apud alias gentes, quas Barbaros vocamus. Arabes, quoties pauperem deſcribere cupiebant, *eum neque agnum neque agnam poſſidere dicebant*, vid. *J. C. Blumii Pent. I. Animadv. ſacr.* p. 15. ſæpe numero proh! contingit, quod miſeri mortales nimio amore creaturas atque caduca caducæ hujus vitæ bona complectantur, Creatoris verò omnium bonorum fontis penitus obliviſcantur. Credibile igitur eſt tantam dementiam homines profanos poſt diluvium cepiſſe, ut inviſibilis Dei obliti pecorum greges ſibi tam proficuos unice dilexerint, & in numinis locum ſubſtituerint. Quapropter ſi quid conjecturando valemus, animalium cultum idololatriæ aut anſam dediſſe, aut primam ſaltem iſtius ſpeciem fuiſſe, hariolamur. Apud Ægyptios certè ſuperſtitioſa brutorum veneratio Joſephi ævo jam invaluerat, inde, qui carne eorum veſcebantur, *abominationi illis erant* Gen. XLIII, 32. XLVI, 34. Exod. VIII, 26. (*) *Nonnulli uſus, utilitatisque cauſa, Euſebii* verba ſunt L. II. *de præpar. Evang.* Cap. I. *multa ex animalibus in Deorum numero apud Ægyptios ſuſcepta contendunt. Bovem enim tam partu ſuo quàm arandi opera conducere. Oves autem & parere, & tegumentorum materiam præbere, & lacte & caſeo alere. Canem*

(*) Ita, præter *Joh. Spencerum*, hæc loca explicant Theologi nonnulli Noſtratium. Vid. *Joh. Henr. Urſin. Adv. S. in Paſſion. Hiſtoric. & Agn. Paſchal.* p. 326. *Joach. Hildebrand. Antiq. ex Scr. S. Select.* p. 15. ſq. Celeberr. *Dn. D. V. E. Lœſcheri Origin. Relig. manipul.* T. VI. §. 4. *Unſch. Nachr.* MDCCII. p. 835. Alii cum *Bocharto* ideò Ægyptiis paſtores abominationi fuiſſe conjiciunt, quod in Ægypti Bucolium plurimi prædonum vitam agentes confluxerint, vel cum *Sam. Baſnagio* non omnibus Regni hujus incolis adſcribere audent, quod ſaltim de ſedem regiam incolentibus ad mentem ipſius pronunciatur.

nem (*) *verò una cum hominibus venerari & ad custodiendos homines natum esse : Quapropter Deum, qui apud eos Anubis appellatur, caninum habere caput.* Huic animalium cultui sapientissimus Deus obviam ire cupiens Israëlitis ex eruditorum quorundam mente carnis usum indulsit, ne temerè adorarent, quod comederent. Quod, si sua luce radiaret, homines ante

 dilu-

(*) Ægyptios canem divino honore affecisse, multi philologi memoriæ prodiderunt. *Jac. Basnagius Antiq. Jud.* T. 2. pag. 616. nomina de astrorum *Kiion*, & *Remphau* de canino cultu explicat ad Juvenalis verba provocando:

Oppida tota canem venerantur.

postmodum addit: Les chieus précèdoint la pompe dans les fêtes d'Isis, à la quele on les avoit cousacrez, cet animal fidele emportoit, dit Plutarque, les premiers honneurs en Egypte, mais il de chut d'un état si glorieux lors, qu' il sejetta sur le Boeuf Apis que Cambyse avoit tue! Putat igitur canum venerationem post Apiscultum introductum desiisse. Superstitionis hujus max. Reverendus Dn. *Urb. Gottfried Siberus de cane è templo exterminando* dum egit, haud immemor fuit. Notat enim ex *Strabone & Eusebio Cæsariense* Ægyptiis usitatum fuisse, ut oppidis suis ab animantibus penes se deorum loco cultis nomina darent, unde à cane *Cyno* nomen acceperit, & integra præfectura *Cynopolitana* canis, & Anubis cultu celebris fuerit. Ex Herodoto splendidissimas canum exequias memorat, aliaque notatu digna profert in eam demum descendens sententiam; Ægyptiorum magos non adeò stolidos fuisse, ut canem venerarentur, sed arcanam potius hujus cultus causam extitisse, quàm *Ælianus Hist.* Lib. X. Cap. 45. panderet asserendo, *canem Ægyptiis ideò sacrum, quod astro cognomine oriente Nilus fœcunditatis parens excrescat, pingvedineque sita omnem campum ad fertilitatem provocet.* Vid. l. c. §. XI. p. 21. Idem ante illum *Joh. Chr. Wagenseil observavit Exerc. var. Arg.* Exerc. I. p. 47. scribens: *Cani id tributum, ut inter fixa sidera primo loco poneretur, imò apud Ægyptios Hespero quoque prælata ejus stella, Isidisque, quæ cum Osiride supremum iis Numen erat, nomine fuit insignita.* Nec minus iisdem, *Anubin* Osiridis filium, canino capite, ceu vel in Obeliscis qui Romæ supersunt, cernere est, figurabant, quem exinde latratorem Virgilius vocavit. Conf. *Selden. de diis Syris* p. 17. & *Bey-*

diluvianos à carnium comeſtione abſtinuiſſe, probabile eſſet, ſed iſtam hypotheſin, quo minus recipiamus, multa obſtant. (*)

SECTIO II.

De origine cultus Serpentum in ſpecie.

§. IIX.

REliqua inter animantia Dracones & ſerpentes ſanctè colebantur. Phœnices atque Ægyptii dubio procul primi illis divinitatem aſſignarunt. Diſcimus hoc ex *Euſebio*, *Juſtino Martyre*, *Clem. Alexandri-*

---

eri Addit: p. 229. ſq. *Socratem* canem pro deo venditaſſe, quidam tradiderunt, non defuerunt tamen illi defenſores, contendentes, virum ſapientiſſimum homines ſuperſtitione demerſos modo deriſiſſe, eosque hoc modo à vanitate illa abducere laboraſſe. Plerisque Ethnicis, ſi non divinum, ſacrum tamen animal fuit canis, atque ad ſacrificia frequenter adhibitum. *Cane, vniverſi, ut ſic dicam Græci, uſi ſunt, & etiamnum ex parte utuntur, ut victima expiationis*, Plutarchus inquit. Vid. *Matth. Zimmerm. Analect. menſtr.* menſtr. III. p. 134. ſq.

(*) Obſtat dominium hominis univerſale in res creatas, differentia jam ante diluvium inter beſtias obſervata, licitus carnium eſus poſt diluvium, & cumprimis ſacrificia hominum ante diluvianorum. Quis enim dubitet, patres primævos paſtos eſſe reliquiis ſacrificiorum ex animalibus puris peractorum. Evolvat B. Lector ſummè Rev. *Dn. D. Deylingii Obſ. S.* P. II. p. 51. *Balth. Bebelii Hiſt. Eccl. Noachicæ* Art. VI. p. 80. ſq. & inprimis *Cel. Danzii* diſſert. de *Creophagia ante diluvium licita* Jen. 1709. Quin etiam in ſtatu integritatis carnibus uſi fuiſſent homines, ſi modo in eo perſtitiſſent, vid. diſſert. noſtram *de uno eodemque genus humanum in ſtatu integritatis & ſtatu lapſus propag. modo* §. VII. p. 10. Errat proinde cum Grotio Clericus. Errat cum reliquo Pontificiorum cohorte Autor *du Traité des diſpenſes du Caréme*, contendens, carnium uſum homini nec naturalem, nec abſolutè neceſſarium, & quidem ideò, quia Deus antediluvianis illius uſum non conceſſerit.

xandrino aliisque Patribus. Persii verba digna sunt, quæ è Satyr. I. huc transferantur:

Pinge duos angves, pueri, sacer est locus.

Ægyptios Græci imitabantur, Apollinem (*) Delphicum sub serpentis figura adorantes. Provoco ad Criticum sui Temporis acutissimum, Danielem nimirum Heinsium, cujus verba *in Aristarcho S.* p. 11. ita fluunt: *Non dubitandum est, quin Pythius Apollo, hoc est spurcus ille spiritus, quem Hebræi Ob, & Abbadon, Hellenistæ ad verbum* Απολλύωνα, *cæteri* Ἀπόλλωνα *dixerunt, sub hac forma, qua miseriam humano generi invexit, primo cultus in Græcia.*

§. IX.

Richard Mead, (**) medicus præstantissimus & societatis Regiæ Anglicanæ Socius, in *mechanica Relatione de venenis*, quæ prima vice An. MDCCII. altera

(*) Variis sub nominibus & figuris Apollinem cœci gentiles honorarunt. Recentiores Solem sibi concipiunt, quoties de Deastro hoc, quocunque demum nomine veniat, aliquid legunt, quorsum referas, quæ de virtute ejus medica passim occurrunt vid. *Joh. Sauberti Prodrom. Philol. sacr.* p. 88. *Christ. Cellar. diss. Acad.* p. 232. Pythius vocatus est ex sententia nonnullorum ob serpentem multum nocentem à se occisum vid. *Ovid. L. I. metamorph.* v. 445. malumus ideo nomen hoc sortitum esse, quia sub serpentis imagine apparuit, & effictus est. Forsan etiam responsa, ceu serpens, è caverna in ventrem Pythonissarum exsibilavit, unde talis farinæ mulierculæ Pythonissarum nomen adeptæ sunt. Πυθὼν sanè idem notat ac *serpens*, quod secundum Strabonem à πυνθάνομαι, juxta alios autem à putredine, ex qua serpentes nascuntur, descendit. Cæterum Apollo quoque sub forma & habitu muliebri pingebatur. Ita in marmore antiquo Apotheosin Homeri sistente, si rectè conjecit Cl. *Jo. Carol. Schottus*, exhibetur. Statuam Apollinis in insula Delos, prope locum, in quo magnificum ejus templum stetit, invenit *Jacobus Sponius*; quam ob magnitudinem & raritatem descripsit. T. I. *Voyag. d' Ital. de Dalmatie, de Grece & du Levant.* p. m. 136. sqq.

(**) Haud licuit nobis ipsum Librum Richardi Meadi inspicere, usi sumus recensione *Ephemeridum Parisiensium Amstelodami recusarum* de Anno MDCCIX. mens. Novembr. p. 367. sqq. quam B. Lector adeat.

altera verò auctior A. MDCCVIII. lingva Anglicana prodiit, Exerc. I. viperarum venenum deſcribens, de Ὀφιολατρεία quædam monet. Statuit, antiqvos credidiſſe, ſerpentes unicè à divina Nemeſi in pœnam hominum productos eſſe, eosque ne veneno, aut morſu nocerent, ſacrificiis & aliis ceremoniis placaſſe. Quæ ſi firma ſunt, metus viperas Deos fecit. Accedit ignorantia veterum, quibus natura & ſtructura reptilium animantium non ſatis cognita fuit. Sed, quo minus experientiſſimo Mead aſſentiamur, Hiſtoriarum monumenta prohibere videntur, affirmantia, veteres ſerpentes neqvaqvam timuiſſe, cum iisdem potius temporis fallendi cauſa luſiſſe, qvin imo antidoto qvodam inſtructos fuiſſe, quo venenum omnesqve nocivos morſus avertere potuerunt. Accedit & hoc, qvod non tàm ob avertenda mala, (*) qvàm afferenda bona Deos ſub ſerpentum forma effictos invocaverint.

§. X.

A ſerpente primorum hominum ſeductore, triſtiqve Protoplaſtorum lapſu, ſerpentum venerationem deducere nonnulli minime verentur, ad ſerpentem in *Orgiis* (**) myſticum provocando, ſvetamqve furibundorum hominum

---

Prima Editio recenſetur in *Actis Erudit. Lipſ.* An. MDCCIV. menſ. Mart. p. 131. ſq.

(*) Minimè tamen inficias ire volumus, timorem interdum idololatriæ anſam dediſſe, ſed potius cum ſummè Rev. Dn. *D. Buddeo* aſſerimus; *Ineptum & ſervilem metum in ſuperſtitione utramque haud raro facere paginam.* Homo meticuloſus qvidlibet facile pro qvolibet arripit, & ipſum Diabolum pro Deo colit, modo à metu ſuo ea ratione ut cunqve liberari queat. Vid. ejusd. *Theſes de Atheiſmo & ſuperſtit.* Cap. X. p. 774. Multi populi Diabolum, ne ſibi damnum inferret, venerati ſunt, & adhuc venerantur. Moderni Orientis incolæ *Calecutenſes* in India orientali, *Siamenſes*, *Japanenſes*, *Chinenſes* ex parte, Europæi qvoqve veteres noti ſunt. Poſtremi, *Tybellini*, *Zernebochi*, *Zuttiberi* nominibus neminem, niſi Diabolum, intellexerunt. Vid. *Joh. Chriſtoph. Wolffii Manichæiſm. ante Manich.* Sect. II. p. 92. ſq. p. 101. ſq. *Arnkiel Cimbriſche Heyden-Religion* Cap. XIII. §. 1. p. 83. ſq.

(**) Orgia ſacra inter Ethnicorum Feſta non poſtremum obtinent. Vocantur ἀπὸ τῆς ὀργῆς à furore, qvia mulieres furore correptæ ea peragebant, vid. *Paul. Stockmanni Elucid. Deorum Dearumque* Gentil. pag.

minum vociferationem *Evœa* prima mortalium matre Eva petitam, vid. doctissimi *Laurent. Begeri Disquisit. Antiquariam de Numnis Cretensium Serpentiferis* p. 11. & conf. *Nicolai Gürtleri Origin. mundi* p. 188. sq. ubi Bacchica sacra à Baccho ipso, quem pro Chami filio habet, in Lapsus Evæ recordationem, sine turpibus ceremoniis primitus instituta, credit. Eadem est *Clementis Alexandrini* sententia, cui tamen contradixit in novissima editione *Joh. Potterus*, observans, vix fieri posse, ut hæc sententia se doctioribus probet, siquidem Evæ nomen nonsolùm aspirationem sibi apud Græcos deposcat, sed etiam, Hesychio teste, Ἐυὰν sit ὀκισσὸς ὑπὸ ἰνδῶν, quâ herba, ut est in fabulis, Bacchus coronatus fuit. Vid. *Act. Erud. Lips.* MDCCXVII. *Mens. Mart.* p. 98. Sicut idoneis argumentis nondum evictum est, Ethnicos obscuram quandam de Lapsu notitiam habuisse: ita multo magis hæremus illis assurgere, qui exinde serpentum cultum derivare satagunt. Si enim Ethnicos haut latuisset, quanto cumulo miseriarum Diabolus, angvis speciem assumens, genus humanum onerasset, serpentes magis execrassent, quàm idololatricè honorassent. In eo autem omnes consentiunt, fausti ominis ergo, veteres in hanc superstitionem concessisse, & nescio, quid boni & divinitatis sub animalibus sæpè memoratis latere sibi persvasisse.

C §. XI.

---

64. sq. vel *ab ira* quæ *Gürtleri* l. c. sententia est, quasi ad iram Numinis serpentis seductione provocatam respexerint. Idem vir doctus mala punica de fructu vetito, ingentes verò clamores de lacrymis & ejulatu hominum lapsorum interpretatur. *Orgia Bacchi* ab Ægyptiis in Græciam Orpheus transtulit, qvæ Orphica ab eo dicta sunt. Num in illas mundi creatio, hominisqve effictio adumbrata sistatur? M. *Amand. Gotthold Fehmelius dissert. de Catacumbis Romanis* (inter quarum picturas Orphei imago admodum frequens) §. VIII. p. 18. sq. indagavit. Lapsus Gentiles haud adeò ignaros fuisse, *Petr. Dan. Huetius demonstr. Evang. Propos. IV.* §. VI. p. m. 255. sq. statuit, serpentemque malorum aureorum custodem serpentis ejus, qui Evam ad peccatum pellexit, symbolum fuisse, manifestum esse putat. Quæ dum in chartam conjicio, *Hadrian. Relandi de Relig. Mohammedica Liber multa* eruditione refertus sese mihi offert, ibi L. II. p. 134. seqventia legas: „Arabes appellant serpentem Satanam. Qvod ideò adscribo, „ ut vestigium deceptionis primorum parentum per Satanam forma „ serpentis indutum in Theologia Mohammedica ostendam, nec in „ Mohammedi ea tantùm, sed & ante Mohammedem. Tunc enim Dia- „ bolum nomine serpentis appellarunt, & crediderunt Zabii Dæmones „

§. XI.

Dantur viri præſtantiſſimi, cultus hujus primordia à *ſerpente æneo* (*) Num. XXI. Dei juſſu à Moſe erecto derivantes. Ipſe *Voſſius* L. IX. *de Theol. Gentil.* Cap. XI. p. 235. ſcribit: *veriſimile eſt, aliquid etiam momenti attuliſſe, quod Deus ipſe per Moſen in deſerto erigi juſſerit ſerpentem.* *Philippus Camerarius Oper. ſubciſiv.* Cent. II. Cap. IX. pariter in iſthac opinione verſatur. *Cultus ſanè ſerpentum*, inquit, *ſive draconum olim frequentes fuiſſe, ſumto forte exemplo à ſerpente Moſaico, conſtat ex multis hiſtoriis.* Neque à Camerario diſcedunt *Chriſt. Cellarius, & Mr. de Boze*, ille, P. I. diſſert. Acad. p. 241. hic, in diſſertatione *ſur le culté que les Anciens out rendu à la déeſſe de la Santé* (Pariſ. prodiit 1705. in 8tav.) Conſentit Cl. *Doppertus Obſerv. Philolog. de Chriſto per ſerpentem æneum præfigurato*, aſſeverans; ab erectione ſerpentis inter Zalmonæ loca petroſa, & arida commodâ viâ deduci poſſe ſolenniorem ſerpentum cultum, & venerationem, quæ orientis pariter, ac occidentis plagas pervaſit, &, ne majores noſtros intactos reliqvit, vid. *Miſcell. Lipſ.* T. I. p. 68. ſq.

§. XII.

„ in ſerpentes transformatos, uti in libro ἀνεκδότῳ de moribus Arabum „ ante Mohammedem Cl. *Warnerus* obſervavit. „

(*) De Serpente æneo paradoxa *Franciſci Burmanni*, *& Campegii Vitringæ* ſententia nota eſt. Audiamus hunc P. II. *Obſerv. ſacr.* Cap. XI. ſequentem in modum differentem: *Momorderant Iſraëlitas ſerpentes igniti, multi ex morſu vel halitu moriebantur, hoc ſignificabat, ſtatum illius gentis præſentem, quo plurimi erant, qui per Diabolum ſeducebantur ad mortem. Deus verò ſerpentem in altum erigi jubet ad perticam, & quidem ſerpentem æneum, cæteris ſimilem, mortuum tamen, ut videtur, & viribus ſuis privatum, ut eos erudiret, inſtare tempus, quo Diabolus in crucem agendus erat, una cum Dei filio in cruce occidendus viribusque ſuis privandus.* Robur aſſerto huic dictis Col. II, 14. 1. Pet. II, 24. Rom. VI, 6. conciliare conatur, ſed irrito ſucceſſu, cum Chriſtus, Joh. III. expreſſis affirmet verbis ſerpentem iſtum ſui typum fuiſſe. Profana neqve *Marshami* opinio nos latet *ad exemplum Ægyptiarum præſtigiarum, ſanctiore tamen inſtituto, ſerpentem æneum formatum in Caſtris Iſraëlitarum excitatum fuiſſe* de-

§. XII.

Sagacitatem & prudentiam (*) Serpentum incauti mortales nimium admirati, & demum eò erroris delapsi sunt, ut divini quid reptilibus istis inesse crederent. Phœnices sanè & Ægyptii eximiam modo celeritatem, modo longævitatem & renovationem laudabant. Vid. *Eusebium de præpar. Evang.* L. I. Cap. VII. Prisci Asiæ incolæ vel ideò à serpentibus originem suam deducere malebant, ut ostenderent, se non navali solum potentia, & peri-

fendentis. Vid. *Hermann. Wittsii Ægyptiaca* L.I. Cap.IX. p.49. Dignus sanè, cujus impietatem profligaverit summè *Rever.Dn. D.Deilingius* P. II. *Obs. Sacr.* p. 157. sqq. Rectè utique *Witsius* l. c. L. 2. Cap. 8. p. 113. quicquid hic factum est, non est factum ex cantatione aliqva, qvippe qva severissimè Deus interdixit, sed expresso Dei mandato, non malis Diabolii artibus, sed divina omnipotentia piis Mosis precibus in Israel. auxilium solicitata, non ad exemplum præstigiarum, qvas viderat Moses in Ægypto, sed in typum Christi. Cæterum, qvo sensu serpens iste æneus Christum præfiguraverit? vid. egregie demonstrantem *Dan. Fesselium in Christo mystico* P. I. p. 331. sqq. adde *Pet. Dan. Huet. demonstr. Evang.* Prop.IX. pag. 1153. sq. *Georg. Mœbii dissert. de serpente æneo* Lips. 1686. *M. Henr. Scarban. dissertat. philol. de serpentis ænei significatione mystica* Lubec. 1714.

(*) De *Angve terrestri* referunt Physiologi, quod sit naturæ frigidæ, & siccæ, & quod paucum habeat sangvinis, qvamvis fel, in qvo virus latitat, calidum esse constet. Hinc est, quod tempore hyemali in cavernis & latebris delitescat, & in infima terræ penetret, æstate verò in superficie versetur. Tres potissimum naturæ serpentinæ proprietates veteres mirati sunt. Prima, qvod corium mutat. *Tertullianus Libr. de Pallio* Cap. III. *Serpens*, inqvit, *qvod sortitus est, convertit corium, & ævum. Siqvidem, ut senium persensit, in angustias se stipat, pariterque specum ingrediens, & egrediens ab ipso statim limine erasus exuviis ibidem relictis novus se explicat cum sqvamis, sordibus induratis, & anni recusantur, i. e. rejuvenescit.* Altera est, ut si quando ab homine petitur, caput tantum custodiat, reliqvum verò corporis totum exhibeat. Tertia, qvod ad fontem bibendi gratia tendens virus in felle delitescens prius evomat, quàm eum accedat, ne ex aqvis illis bibentes toxico inficiat. Sit fides harum rerum penes veteres Physicos nimis interdum credulos. Hebraicum vocab. נחש nonnulli à radice נחש exploravit, Græcum verò

peritia excellere, ſed & viros alere omni ex parte Heröes. Vid. *Begeri diſqviſit. de Nummis Cretenſ. ſerpentifer.* Alex. M. gloriari non erubuit, Olympiam matrem à Dracone ſub ſpecie Jovis Ammonis compreſſam, ex illa ſe genitum eſſe. *Juſtinus* L. XII. perhibet, Olympiam, nocte, qvâ filium tam celebrem concepit, viſam eſſe per qvietem cum ingenti ſerpente volutari. Unde inſignia Alexandri fuere angvis, id qvod ex gemma patet, cujus explicationem è diario Trivoltienſi petitam *in Novellis Literariis* An. MDCCXV. Lipſiæ edi cœptis N. I. p. 1. ſq. haurire poſſumus. Qvæ, cum ita ſint, illi ſeſe nobis probant, qvi *Draconum aut ſerpentum cultum à nimia admiratione ſagacitatis, & prudentiæ horum animantium ortum eſſe, contendunt.* Cui utiqve infernalis Proteus ſeſe immiſcuit, ſuperſtitioſos in tanta impietate vel ideo confortans, ut Oraculum Dei falſum redderet, qvo pronunciaverat: *Ponam inimicitiam inter ſerpentem, & mulierem atque ſemen ejus,* quæ erudita Maximè Rever. *Dn. Philippi Olearii* conjectura eſt, *diſſert. de* Ὀφιολατρεία §. III.

§. XIII.

Hactenus de origine cultus ſerpentum nefandi egimus. Ad alia nunc deſcendamus, gentesque ſuperſtitionis adeò turpis puteo immerſos in ſcenam producamus, ipſiusque cultus abominandi rationem exponamus. Quod ſi præſtiterimus, *de Exiſtentia* (*) idololatriæ ſerpentinæ nulli Lectorum dubium naſci poterit.

CAP.

ὄφις ab ὄπτομαι video, vel prudenter circumſpicio, derivare haud verentur. Salvator optimus prudentiam ſerpentinam Matth. X, 16. ipſe extollere videtur. Vid. utiqve *Sam. Boſchart. Hieroz.* P. I. L. I. Cap. IV. P. II. L. I. Cap. IV. col. 20.

(*) Cum hodie Athei, aliique peſſimæ farinæ homines, integris in eorum gratiam Apologiis editis, excuſentur, quin, ipſa vitia turpiſſima laude paradoxa evehantur, quid mirum? & Ethnicos ſerpentes venerantes à ſuperciliioſis quibusdam defendi, objicientibus, angves, priſcis mortalibus non Deorum, ſed ſymboli modo loco fuiſſe, ſub quibus aut verum Numen religioſè adoraverint, vel virtutes præſtantiſſimas methodo hieroglyphica commendaverint. Videant iſti, quomodo Paulo Rom. I, 23. reſpondeant. Nos Exiſtentiam impietatis hujus in capite jam ſubſecuturo ſecundo, ejusque potiſſimum Sectione poſteriori palam faciemus.

CAP. SECUNDUM

SECTIO I.

de gentibus cultui ſerpentum aſſvetis.

§. I.

AUguſtinus Lib. III. *de Civit. Dei* Cap. XII. it. Lib. XVIII. Cap. XV. gentiles aves (*) ſerpentes, feles (**) crocodilos, quin & peſtem (***) & febrem (****) aliaque his abſurdiora pro Diis coluiſſe, queritur. Agedum, ſiſtamus nonnullos Ethicorum è cohorte, quos tanta vecordia cepit, ut animal, ſub cujus forma Diabolus omnem miſeriarum cumulum humano generi invexit, pro Deo habuerint!

(*) Aquilas & Accipitres Ægyptios, veſpertilionem Mexicanes, quascunque primo mane occurrentes ſeptentrionales nonnullos divino honore proſecutos eſſe, *Voſſius L. III. de Idolol.* cap. C. tradit. Samaritanos columbæ imaginem in monte Garizim erectam coluiſſe, Hebræorum nonnulli memoriæ prodiderunt, aſt defenſionem eorum *Cl. Hadrian. Relandus* ſuſcepit, & imaginem iſtam teleſma ſ. avem æneam à Romanis ibi conſtitutum fuiſſe, monuit P. I. *Diſſert. miſcellan. Diſſert. III.* §. 13. Indi orientales magno in pretio aves habebant, prorſus enim ab eſu & nece earum abſtinebant, quin certa pecuniæ ſumma ſoluta ab aucupibus captis libertatem reſtituebant, vid. Dn. *D. Cypriani Cent. Hiſt. Anim. B. Franzii* P. II. p. 841.

(**) Felem unam ex præcipuis Diis Ægyptiacis fuiſſe è Diodoro Siculo, & Strabone notavit *B. Franzius Hiſt. Animal.* P. I. Cap. XVIII. conf. *Beyeri Addit. ad Selden. de Diis Syr.* p. 229. it. *Collinum* in libro famoſiſſimo *de Cogitandi Libertate* p. 13. adverſus quem vero Ægyptios *Phileleuterus Lipſienſis*, vel potius *Rich. Bentlejus* P. I. Animadverſionum An. 1713. editarum excuſat, vid. *Act. Erudit. Lipſ.* An. 1714. Menſ. Jul. p. 314. In urbe Alexandria, nec, non Cairo, templa quondam in honorem felum exſtructa fuiſſe è *Chriſtophori Fureri* Itinerario Tzſchimmerus refert *in der Durchl. Zuſammenkunfft* p. 249.

§ II.

Apud Ægyptios ſerpentem peculiari ratione conſecratum fuiſſe, *Gisbertus Cuperus* [*] in Harpocrate oſtendit. Juvenalis Satyr. XV. hiſce, ſuperſtitionem Ægyptiacam riſit:

Qvis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens,
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin:
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnonæ chordæ,
Atque vetus Thebæ centum jacet obruta portis.

Eandem è patribus *Clem. Alexandrinus* L. III. *Pædagog.* Cap. II. deploravit: „Apud Ægyptios templa, porticus, veſtibula, ac luci magnificè extructi, „& atria multis columnis cincta ſunt. Parietes lapidibus externis & artifi„ciosè depictis reſplendent, ita, ut nihil deſit. Ædes auro, & argento & „electro collucent, ſed, ſi penetralia templi ſubieris, & imaginem, quæ tem„plum habitat, quæſieris, non invenietur Deus, qui quærebatur ſub tanto appa-„

(***) De Maſſilienſibus relatum legimus, unum ex pauperibus delicato cibo paviſſe, quoties peſte laboraverint. Quem deinceps verbenis & veſtibus ſacris ornatum per totam civitatem circumducebant, ac demùm ferali carmine immolabant. Vid. *Joach. Hildebr. Antiqv. Sel.* Sect. 2. p. 163. *Joh. Saubert. de Sacrific.* Cap. III.

(****) Febrim Deam Romani colebant, ne noceret. Valerium Maximum audiamus: *Cæteros quidem Deos*, inquit, *ad benefaciendum venerabantur, febrem autem ad minus nocendum, templis colebant: quorum adhuc unum in palatio, alterum in area marianorum monumentorum, tertium in ſumma parte vici longi extat.* Idem teſtatur Plinius *L. II. Hiſt. Nat. C. VII.* publicè febri in palatio fanum erectum fuiſſe, aſſerens. conf. *Sartor. de hypocris. gentil. circa cult. Deorum* Cap. II. p. 25. ſq. *Stockmann Elucid. Deorum Dearumque Gentil.* p. 99. *Selden. de Diis Syris proleg.* Cap. 3. p. 59. *Beyeri Additam.* p. 128. *Hildebrand. Antiq. Rom. Tit. Febris* p. 174.

[*] *Celeberrimus Cuperus* cum antiquariis noſtræ ætatis omnibus de principatu contendens, Conſul Daventrienſis ſpectatiſſimus, anno elapſo inter vivos eſſe deſiit. Scripta ipſius limatiſſima bonam partem exhibentur in *N. Bucherſaal* P. XXXI. p. 481.

„apparatu, ſed crocodilus, vel ſerpens.„ Solebant ſerpentes & dracones Agathodæmonas vocare, eosque tanto ſtudio venerari, ut Cicero dixerit: *firmiores apud Ægyptios opiniones eſſe de beſtiis quibusdam, quàm apud Romanos de ſanctiſſimis templis & ſimulacris Deorum* L. I. de Nat. Deorum. Πρῶτον ψεῦδον credulorum horum dubio procul fuit, divinitatem non per hominem tantùm, ſed pèr omnia animalia penetraviſſe (**) vid. Max. Rever. *Phil. Olearii diſſ. de* Ὀφιολατρεία §. VIII. ubi Herodoti, Æliani, Diodori Siculi aliorumque teſtimonia afferuntur, & conf. Celeberrimi *Fabricii Bibliograph. Antiqv.* p.m.251. *Matth. Zimmerm. Analect. menſtr.* Menſ. I. p.50. ſq. *Joh. Schræderi Apodix. Theologic. de Imaginibus ad habendum* Qv. II. §. 39. Recordabitur tamen Lector ſub finem prioris capitis, nos monuiſſe, eruditos quosdam eam imbibiſſe ſententiam, ſapientiores Ægyptios neutiquam ipſos ſerpentes, vel alia animantia bruta religiosè coluiſſe, ſed potius pro ſymbolis divinitatis & Deorum habuiſſe, lege *Olearii Diſſert. laudatam* §. IX. & *Dn. D. Cypriani Cont. Hiſt. Anim. Franzii* P. IV. p. 3342. *Voſſius* L. IV. de Orig. & progreſſu Idolol. Cap. LXIII. p. 121. cultum hunc prudentioribus ſymbolicum, ſimplicibus, ac rudibus proprium fuiſſe. Sed vereor, ne in caſſum laborent, cum ad unum recidere videatur ſuperſtitio, an animal quoddam pro Deo, vel pro divinitatis ſymbolo habeam, atque ſub iſto Deum mihi falſum concipiam.

§. III.

Poſt Ægyptios *Phœnices* [*] populi antiquiſſimi memorandi veniunt. De his *Euſebius L. I. de Præparat. Evang.* perhibet, *Deos ſuos ſub ſerpentis ſpecie ſibi concepiſſe*, quin ſerpentes Deorum loco habuiſſe. Idem *Henr. Corne-*

(**) Multos veterum à *Spinoziſmo* i. e. illo errore, quo aſſeritur, mundum univerſum eſſe Deum, non immunes fuiſſe, certum eſt. Emanationem rerum creatarum ex eſſentia divina plures crediderunt, & per hanc viam ad craſſiſſimam idololatriam delati fuerunt, conf. *Dn. D. Joh. Franc. Buddei Theſes de Ath. & Superſtit.* cap. I. p. 14. ſq. Dolendum itaque, *Felgenhauerum*, & noſtra tempeſtate *Dippelium*, aliosque errorem hunc fanaticum reſuſcitaſſe. Si enim omnes res creatæ pars quædam Numinis vocari poſſunt, nemo vitio vertet, Ægyptiis aliisve idololatris, quod ſerpentibus divinum honorem tribuerint.

[*] *Phœnices Iſaaco* Patriarchæ nonnulli coævos faciunt, *Juachus* enim juxta ſententiam eorundem, qui tempore Iſaaci Regnum in Peloponeſo conſtituit *Anach* ſ. *Enach* fuit, à quò ἄναξ & ἄνακες in veteri Græcia.

Cornelius Agrippa L. II. de Philosoph. occulta Cap. XLV. Oper. T. I. p. 221. his verbis confirmat: *Serpentem Phœnices supra omnia animalia esse divinum animal putabant, atque ejus divinam naturam celebrabant.* Prope Tripolin, urbem Phœniciæ celebrem, macer campus fuit, in quo Posidonius scribit [verbis Strabonis utimur] visum fuisse serpentem mortuum, jugeri longitudine, crassitudine tanta, ut equites ex utraque parte existentes alter alterum videre nequiret, rictu eo, qvi hominem eqvo insidentem reciperet, exuviarumque sqvamam qvamlibet clypeo majorem.

§. IV.

A Cretensibus quoque serpentes pro Numinibus habebantur, & vetustis Asiæ incolis imperii loco symboli erant, prout *doctissimus Begerus* in dissertatione supra laudata *de Nummis* [*] *Cretensium serpentiferis* uberius demon-

---

Ab his Clericus Phœnicum denominationem petit, contendens populos hos dictos esse ab Hebraica voce ענק, qua ratione Phœnices it. essent ac בניענק filii Anac. vid. *Comp. Hist. univ.* pag. 13. *Bartholdus Nihusius* Tract. Chorograph. Cap. IV. §. 27. p. 44. Phœniciam à Phœnice Neptuni nato dictam conjicit, vel à φοίνιξ palma, cum ista regio palmetis olim abundaverit. Sumitur autem Phœnicia interdum latè, & hoc sensu Josephus scripsit, *Galilæam ab occidente Phœnicia cingi*, proprie tamen ab occasu habet mare mediterraneum, ab ortu Syriam Cœlen, versus Boream à Seleucide per Eleutherum fluvium distingvitur, austrum versus ad Carmelum usque porrigitur. Conf. B. *Chemnit. Harmon. Evang.* T. I. *Prolegom.* Cap. VI. pag. 26. Incolæ Phœniciæ quondam à veri Dei cognitione remoti erant, qui vero Palæstinam propiùs attingebant, obscuram quandam per famam ejus notitiam hauserant. Et sic, ni fallimur, capiendum est, quando Marcus Cap. VII, 26. γυνὴς ἑλληνὸς Συροφοινίσσας mentionem facit. Mulierem hanc patre Syro, & matre Phœnissa natam, ideoque Syrophœnissæ nomine insignitam fuisse B. *Dorscheus Comment. in h. l.* p. 517. existimat, ast rectius fortè Lyserus, quando scripsit: *Syrophœnissa appellatur, quia natione non erat ex Græcia, sed ex Phœnicia, quæ est pars Syriæ.* Syrophœnicia autem dicitur propriè illa pars Phœniciæ, quæ Tyro & Sidoni contermina. Nervosè omnino *Theod. Hackspanius*: Syrophœnissa ortum seu patriam indicat. Græca vel ἑλληνὶς religionem importat. *Not. Philol. Theol.* P. III. p. 213.

demònstravit, cujus coniecturas assensu suo firmare haud dubitavit *Joh. Harduinus* [**] *in Nummis antiquis illustratis, sub nomine* μαρκιανοπολειτῶν, p. 312. qui tamen ob sententias paradoxas eruditis passim vapulat.

§. V.

Judæos à serpentum cultu non alienos fuisse nonnulli vèrbis 2. Reg. XVIII, 4. suffulti asseruerunt. Ita vero textus sacer l. c. ex Versione B. *Se-*

---

[*] Deorum suorum memoriam Veteres etiam in nummis sanctam servabant. Inde nonnulli Janum bifrontem, clavum Herculis & similia exhibent. Vid. *Philologi edecumati Justi Fontanini* L. I. *de Antiquit. Hortæ Coloniæ Etruscorum* Cap. VII. Alii vultus Imperatorum inter Deos relatorum sistunt. Qvin, τὴν θεότητα ad infimas res extensam fuisse, ex nummis patet.

[**] An. MDCLXXXIV. *Joh. Harduinus* Parisiis edidit *Nummos antiquos populorum, & urbium illustratos* in 4. Hoc opus eqvidem insigne, & cui in eo genere nil par, aut secundum hactenus prodierit, *Henricus Norisius* salutaverat, addiderat autem, virum philavtia deceptum non parem in nummaria Chronologia atque in Geographia laudem tulisse, vid. *Act. Erudit.* Lips. 1690. p. 438. Paradoxas inter sententias, qvibus inclaruit, sunt, qvas de Suppositione Autorum Antiqvorum, & Genealogia Herodiadum proposuit. Plures dubio procul in scrinio pectore fovet reperiundas in spisso volumine, cuius editionem post obitum demum pollicetur, vid. Celeberrimi *Joh. Burch. Menckenii Charlataneriam Erudit.* p. 34. Eruditorum de Jesuita hoc Judicia coacervare nolumus. Instar omnium nobis hac vice sit *Mr. Themisseul*, famosi sub *Chrysostomi Mathanasii* nomine editi Operis conditor, cuius verba è T. I. *Memoir Litterair.* P. II. p. 436 sq. benevolo cum Lectore communicabimus. Ita vero ille: Le P. Hardouin est sans donte unsavant homme, si on entend par savant un homme qui à lû beaucoup, & il n'yapoint de Jesuite qui ne lui doive céder à cet egard: mais c'est un Critique singulier dans son espéce, & l'on est ètonne de voir à quels excès bizarres & incomprehensibles, un homme d'esprit comme lui, s'est porté par rapport aux cuvrages les plus certains de l' Antiquité, en rejettant, par exemple l' Historien Josephe comme supposé par une Cabale de savans du douze ou trésiême Siecle - - - Qvomodo patres Ecclesiæ Veteris Atheismi accuset, Harduinus vid. l. cit. p. 403.

bastiani Schmidii fluit: *quin etiam contudit* (Chiskijah) *serpentem æris, quem fecerat Moses, eò, quod ad dies istos* (*fuerunt*) *filii Israëlis suffientes ei, vocaruntque eum Neschuschthan.* Theologus summus, cujus versionem iam attulimus, haudquaquam in *Annot. brevibus* ad h. l. p. m. 259. exinde probari posse, contendit, quod ex hoc serpente Deum fecerint Israëlitæ, inter reliquias potius (*) eundem relatum fuisse, sibi aliisque persvadere conatur. Verum enim verò, utut concedamus, æneum serpentem in memoriam piam tanti beneficii, & forte typum etiam crucis Christi per temporis spatium illæsum servatum, itemque ab Asa & Josaphato regibus devotissimis divinoque Zelo plenis destructum minimè fuisse, tempore tamen labente in offen-

(*) Contusus & destructus fuit serpens æneus ab Hiskia, haud secus, ac olim aureus vitulus à Mose, hæc est enim emphasis verbi כתת Jes. XXX, 14. 2. Paral. XXXIV, 7. Exod. XXVII, 20. Pontificii tamen serpentem à Mose Dei jussu in deserto erectum in Ecclesia S. Ambrosii Milani reliqvias inter servare & idololatricè colere *Humphredus Prideaux in Hist. veter. & Nov. Testamenti* monuit, castigatur verò à *Mr. de la Roche* T. I. *Biblioth. Angloise* p. 8. ubi seqventia in gratiam Romanensium adjecit: J' ai vû ce serpent, & je n' ai pas oui dire qu' on en fasse un objet d' adoration. Mr. Prideaux réconnoît que plusieurs savans de l' Eglise Romaine réjettent cette Rélique. Pontificios in reliquiarum cultu nimium superstitiosos, imò credulos esse, Mr. de la Roche haudquaquam inficias ibit. *Hodie*, inquit *Georg. Cassander*, vir candidus, *cum passim omnia reliquiis sanctorum plena esse videntur, verendum est, ne, si Episcopi & principes in veris reliqviis quærendis & dijudicandis, eam, quam debent, operam adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent.* Adeat modo Lector *Joh. Mabillonii* dissert. *de cultu sanctorum ignotorum* sub *Eusebii Romani* nomine ficto editam, cuius summam *Ephemerides Parisienses* An. 1705. p. 266. sqq. Edit. Holland exhibuerunt; nec non *Dan. Papebrochii Responsionem ad Exhibitionem errorum* &c. An. 1696. typis impressam Art. XII. §. 1. sqq. Nonne *Paulus Vergerius* Legatus Papæ in Concilio Tridentino fassus fuit, Romæ inter alias reliqvias custodiri sonum primæ campanæ, quæ Romæ pulsata fuit, it. plumas ostendi ex alis Gabrielis Archangeli elapsas, cum ad virginem Mariam veniret? vid. B. *Joh. Meyfarti diss. I. de Reliqv. & Statuarum cultu* Cap. I. §. 6. Quis crederet, hominibus his absurdum videri, serpentem æneum adhuc inter reliquias servari, utut ab Hiskia destructum?

offendiculum periculosum, & idolum insigne degenerasse, ex verbis jam recitatis sole meridiano clarius patescere arbitramur, conf. *Dn. L. Olearii Dissert. de* Ὀφιολατρεία §. VI. p. 12. sq. & adde B. *Pfeifferi Dub. Vexat. Cent. III.* p. 453. Nomen נחשתך Deastro isti peculiare fuisse, *Pfeifferus* l. c. affirmat, sed minus accuratè, (id quod salvo honore piis manibus Theologi summi debito adjicere liceat,) habet enim formam deminutivam, ita, ut vi vocis Hiskias nihil magnum, nihil vivum, quod ab homine prudente coli, & observari debeat, in illo serpente esse, cum nihil aliud, sit qvam vile qvoddam æs, vid. *Olearium* l. c. *Petrus Cunæus* L. III. *de Rep. Hebr.* cap. IV. Israëlis sobolem, ut aliàs, ita etiam hoc in crimine Ægyptiorum turpibus vestigiis institisse putat, sed meritò hocce ob assertum *Jac. Basnagio* Tom. II. *Antiq. Jud.* Cap. IV. p. 481. sq. vapulat.

§. VI.

Neminem *Draconis* (*) *Babylonici* cultus latet, cuius mentio uberior, tum in scripto Apocrypho de Historia *Belis & Draconis*, tum in Josepho *Ben Gorionidis* (**) occurrit. Relationem Autoris Apocryphi in sacris pandectis sua sponte evolvet Lector, Josephi autem verba à Summè Rev.

(*) Dracones serpentum genus esse, *Wolffg. Franzius Hist. Anim.* P. IV. Cap. V. p. m. 376. his verbis adstruxit: *Nihil sunt aliud, nisi serpentes valdè annosi & admodum aucti in quocunque genere, & idcirco non differunt à reliquis serpentibus nisi magnitudine.* Diversum tamen sentiunt *Sam. Boschardus Hieroz.* P. II. Lib. III. Cap. XIV. & *Gerh. Joh. Vossius Lib. IV. de Orig. & Progr. Idol.* Cap. LVIII. p. 112. Viri doctissimi & Philologi æstumati. Ponamus verò, Dracones minùs commodè genus serpentum vocari, ad animalium tamen horum seriem in sensu latiori poterunt referri.

(**) Operæ pretium fuerit, de *Josepho* hoc *Pseudo Gorionide* quædam monuisse. Habuerunt illum cum *Flavio Josepho* pro uno eodemque è Judæis *David Gansius*, è Christianis *Sebast. Munsterus*, & *Joh. Fridericus Breithauptius*, qui Gorionidem addita versione latina An. MDCCVII. nitidissimè prodire iussit. Ast præterquam, qvod Josephus se L. II. de bello Jud. c. xxv. p. 822. ipsum disertè à Josepho Filio Gorionidis distingvat, eruditi clarissimi fraudem detexerunt, & pro supposititio agnoverunt, ex quorum cohorte iam unius alteriusve iudicium suppeditabo. *Gerh. Joh. Vossius* L. II. de Hist. Græc. cap. VIII. scribit: *multa adeò dicit, quæ*

Dn. D. Majo P. III. *Oecon. Judic. divin.* cap. XVII. de Judicio Dei in Draconem Babylonicum, quantum instituti nostri ratio permiserit, repetemus. Ita „ veró ille: Fuit etiam illo tempore apud Chaldæos Deus erroneus, Draco „ ingens, in spelunca qvadam habitans, cui munus præparatum nocte objece- „ runt, qvod ille diducto oris rictu excipiens pro more suo deglutivit at- „ que in altum se extulit, qvasi ex antro prodire paululum volens, prin- „ cipes itaque ad Regem dixerunt: nunqvid Daniel etiam isti Deo, qvi Deus „ vivus est, illudere poterit, sicuti fecit Belo ejusque sacerdotibus, & altari

---

Flavio Josepho, ac veritati ipsi repugnant. - - Gorionides iste non librariorum culpa titulum mentitur, sed ipse, quantus quantus est, impostor est. Josephus Scaliger ita de nostro; *Inscitiam plus, qvàm judaicam produnt infinita in illius libris sparsa: qvod David in Neapolitano agro fuerit, qvod multi veteres Patriarchæ aut Judices Hebræorum in Europa bellum gesserint. Impudentiam etiam portentosam cum imperitia insigni deprehendes.* Vid. Epistolas philol. & historicas de *Fl. Josephi testimonio, cura Christophori Arnoldi* editas p. 15. sqq. *Julius Bartiloccius, Bibliothecæ Rabbinicæ* conditor inclutus T. III. p. 799. ita disserit. „ Jo- „ seph. Ben Ghurion scripsit historiam antiqvitatum, & de Bello Ju- „ dæorum libros qvinqve. Hic est alius à Fl. Josepho Hebræo, qui „ Græcè scripsit it. de Bello Judaico, & antiqvitatibus Judæorum, à „ qvo desumtum, & suffuratum est, qvicqvid ad veram historiam in „ hoc opere deprehenditur contineri. Itaqve hujus libri autor videtur „ esse recentior, & inferioris admodum ætatis, qvam fuerit Josephus „ Hebræus, sive Flavius, sive Ben Ghurionis, nam in Biblioth. Vati- „ cana extat Autoris codex MSCC pergam. sub num. 408. Audiamus etiam *Wilh. Caveum* Hist. Literar. p. 21. inquientem: *Josephus iste, qui dum nugas suas pro genuino Fl. Josephi opere apud populares suos venditare voluerit, stolide hallucinatus, se Gorionis filium dixit, Judæus aliquis Gallicæ gentis. Ex agro Turonensi fuisse, & post annum Christi sexcentesimum scripsisse, videtur Scaligero. - Scripsit Hebraicè compendium qvasi qvoddam F. Josephi Historiarum.* Agmen claudat (ne justo prolixiores simus) Celeberrimus *J. Alb. Fabricius L. IV. Bibl. Græc.* cap. VI. p. 250. cujus verba dabimus; *Cæterum eruditis hodie Christianis plerisque dubium non est, Josephum huncce Hebraicum ex Græco, vel potius Latina Josephi Græci versione, esse expressum, vel excerptum, potius, nec Josephum ipsum auctorem, sed longè recentiorem aliquem esse qui pro lubitu digessit, addidit, interpolavit, omisit, ut ipsi videbatur.*

tari, & mensæ cultumque illius sustulit? cur non etiam vires suas experi-„ tur adversus Deum istum vivum? Certè si ipsum aggrederetur, Draco iste„ Belum, ejusque templum ac sacerdotes ulturus esset. Hæc ex versione D. Maji supersedeo reliqua adscribere, modum tamen peculiarem, quo Daniel Draconem hunc debellavit, iisdem Josephi verbis subnectam: quare simul ac à Rege digressus est, ferrea instrumenta fieri sibi curavit, pecti-„ num instar, quibus linum carminatur, qvorum terga sibi invicem conjun-„ xit intrinsecus, tergum tergo copulando, ut aculei eorum foras promi-„ nerent circumqvaqve limati & aculeati; qvibus varias ciborum species„ circumposuit, nempe adipem, sebum, aliasque pingvedines; lituram qvo-„ qve sulphuris, ac picis, ut ita aculei isti ferrei & dentes serrati prorsus„ occultarentur - - - . Hanc offam cum Daniel Draconi objecisset,„ eam diducto rictu avidissimè excepit & devoravit. At ubi descendit ad„ interiora ventris, & adeps pingvedinesqve colliqvefacta à ferreis aculeis de-„ fluxerunt, serratorum dentium acumina in Draconis viscera penetrarunt„ eaqve perforarunt, Draco sentire dolorem & corruere cœpit, & altero„ post die mortuus est. Hæc ex Josepho. Sed cum relatio illius cum scri-„ ptoris Apocryphi S. Codici adnexa non conveniat, rem totam valde suspectam reddi Dn. Olearius l.c. §. VIII. eruditè adnotavit. Quocunque modo sese Historia ista de Dracone Babylonico habeat, (***) Dracones olim in tem-

 plis

(***) Historiam de Dracone Babylonico pro genuina habuit, eamque Danieli Prophetæ adscripsit *Pet. Dan. Huetius Demonstr. Evang. Prop. IV.* p. 468. sqq. putat enim, hanc in Septuaginta Interpretum antiqvissimis editionibus, quippe egregium Danielis pueri & juvenis factum exponentem, cum relatione de Susanna in fronte prophetiæ Danielis collocatam, à vulgato verò interprete Ebraici Exemplaris autoritatem secuto, ad calcem conjectam fuisse. Rejicit tamen eandem *Hieronymus* in Proëmio Comment. *Danielis* Opp. T. V. p. m. 694. è recentioribus pro spuria & supposititia venditant relationem de Dracone Babylonico B. *Abr. Calovius* in Oper. Bibl. German. ut & *Joh. Seldenius* Synt. II. de Diis Syris Cap. XVII. p. 364. *Quod ad Draconem Babyloniorum*, inquit, *in Apocryphis celebratum attinet, poëma sacrum historiolam illam magis quis nuncupet, quam inter signatæ veritatis testimonia numeret.* Historiam de Dracone Babylonico parem cum Libris Scripturæ S. Canonicis autoritatem obtinere, contra Pontificios negamus, de veritate tamen rei non adeò cum *Luca Osiandro* ambigimus, ita enim ille ad h. l. Denn es ist aus den weltlichen Historien bekannt, dass

plis & adytis educatos, & ſumptibus publicis aſſervatos eſſe certum eſt. Babylonios quoque, regnante Cyro, Belum ſuum coluiſſe, Draconibusque divinitatem aſſignaſſe, magnif. Dn. *D. Val. Erneſtus Lœſcherus* Orig. Religioſ. Manipul. II. §. XVI. docuit, & Deam cœleſtem ſerpentem manutenentem Ethnicos hos repræſentaſſe ad mulieris ſemen ſerpentis caput conterens alluſione facta, addidit, *Unſch. Nachr.* MDCCII. p. 673. ſq.

§. VII.

Dracones & Serpentes *Romanos* religiosè coluiſſe, literarum monumentis conſignatum eſt. Lanuvii ſanè Draco ſancte adorabatur, prout ex *Propertii* Elegia de Cynthia, & Dracone inſcripta apparet;

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela Draconis,
Hic, ubi Tartareæ non perit hora moræ;
Qva ſacer abripitur cœco deſcenſus hiatu,
Qva penetrat virgo tale iter omne cave.
Jejuni ſerpentis honos, cum pabula poſcit,
Annua & ex ima ſibila torqvet humo,
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ,
Qvum temerè angvino creditur ore manus
Ille ſibi admotas à virgine corripit eſcas,
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.

Adeò ſerpentum ac Draconum amore capti erant populi iſti fortiſſimi, ut inter ſigna (*) militaria illos habuerint, per ſingulas qvippe cohortes Dracones

---

etliche Heyden die Drachen für Götter geehret haben. Und iſt wohl zu verwundern, wie die Leute in ſolche Blindheit gerathen können, daſs ſie ihnen Schlangen und Drachen für Götter auffgeworffen haben, da doch der Teuffel als ein Feind des gantzen menſchlichen Geſchlechts durch eine Schlange unſre erſten Eltern, und alſo alle Menſchen in den gröſten Jammer bracht hat, dazu noch auf den heutigen Tag ein Menſch erſchrickt, wenn er nur eine Schlange anſichtig wird.

(*) Poſterioribus demum temporibus Dracones inter ſigna militaria relati fuerunt, olim enim non niſi aqvilæ ſimulacrum aureum haſtæ præpilatæ ſuffixum à milite *aquilifero* inde dicto proferebatur. Vexillis præterea utebantur, quibus milites diſperſos in ordinem redigebant,

cones à *Draconariis* ferebantur, Joh. Rosino teste *Antiq. Rom.* Lib. X. Cap. V. p. m. 722. conf. *Gurtleri Theol. Proph.* p. 580. *Hermannus Witsius* Spiritum S. Apoc. XII, 9. verbis; *conjectus est Draco magnus, serpens antiqvus, qui vocatur Diabolus & Satanas - - - conjectus est in terram*, respicere putat ad serpentes & Dracones Æsculapio sacros, publicisque sumtibus in templis eius cultos, *Misc. sacr.* L. III. Cap. III. §. 79. p. 689.

§. IIX.

---

erat enim literis in illis consignatum, ex qva cohorte, vel qvota esset centuria. Vid. *Rosinum* cit. loco. Judæi pariter vexillis, tanquam signis militaribus, erant instructi, ita qvidem, ut, si *Paulo Fagio* & *Thomæ Goodwino* fides adhibenda, singulis inscriptiones suæ fuerint distinctiqve colores, inqve vexillo Rubenis hominis, in vexillo Judæ Leonis, Ephraimi bovis, Dan aqvilæ imago apparuerit. Explicant qvoqve nonnulli exinde verba Cantic. VI, 4. 10. ubi Ecclesia *terribilis, ut acies vexillis instructæ* vocatur. Huius generis signa Germani *Fahnen* appellare solent a vocabulo obsoleto *Fan*, qvod Gothis idem notabat, ac dominum, solebant enim vexilla honoris causa præcipuis ex nobilibus & qvi de Republica bene merebantur, præferri, vid. *celeberrimi Nic. Hieronymi Gundlingii* diatriben *de Feudis vexilli* vulgò *Fahnlehn*, Halæ 1719. in 4. editam, & adde *Wilh. Ernst Tenzelii* Colloqv. menstrua An. 1689. p. 692. Cæterum cum *Draconariorum* in thesi mentionem iniecerimus, *Jac. Gutherii* verba in gratiam Antiquitatum studiosorum ex Libr. II. *de Offic. domus Augustæ* p. 409. excerpemus. In singulis, scribit, cohortibus Draconis „ signum fuit, & qui signiferi portabant illud, Draconarii nominati, „ Dracones singuli a Draconariis per singulas Cohortes, i. e. decem in „ unaqvaqve legione ad prælium efferebantur. Constantius Impera- „ tor, post Magnentii exitium, Romam gestiebat visere, cumqve urbi „ propinqvaret, insidebat aureo carpento solus, fulgenti claritudine „ lapidum variorum. Qvo micante lux qvædam misceri videbatur, al- „ ternumqve potestatis gradus multiplices; alios purpureis subtegmi- „ nibus texti circumdedere Dracones, hastarum aureis gemmatisque „ summitatibus illigati. „ Tandem & hoc notamus Dracones pro signis etiam Assyrios, Scythas aliosqve gestasse. Conf. *Matth. Zimmermanni Florileg. Phil. Hist.* p. 309.

§. IIX.

Ad Occidentis etiam plagas nefarius ſerpentum cultus penetravit, neque priſcos Germaniæ incolas intactos reliquit. *Vandali* (*) populi antiqviſſimi inter Deos lares ſerpentes retulerunt, Draconemqve volantem *Olao magno* Auctore L. II. Cap. XXIV. pro Numine habuerunt. Draconem in Inſignibus Regis Daniæ conſpicuum exinde qvidam derivant. Fuit enim Dania Vandalorum Regina, hinc Pontanus inſignia Regia his verſibus ornavit:

Hinc rigidos Slavos effert pernicibus alis,
Et loca propugnat ſangvinolenta Draco.

Veſtigia huius idololatriæ in cornu prope Tunderam reperto, deprehendere ſibi viſi ſunt Antiqvarii, vid. *Trog. Arnkiel Cimbriſche Heyden-Religion* P. I. Cap. VIII. p. 42. ſq. it. *vom güldnen Horn* Cap. II. p. 46. adde *Miſcell. Lipſ.* T. I. p. 69.

§. IX.

De Ophitis (**) Seculi II. Hæreticis Epiphanius Hæreſ. XXXVII. ſeqventia refert: *Colunt ipſi ſerpentem, & panem ipſi offerunt, quem circa tempus*

(*) De Vandalis omnium optimè ſcripſit *Albertus Krantzius*, qvi A. 1519. publici iuris fecit hiſtoriam *de Vandalorum vera Origine, variis gentibus, crebris è patria migrationibus, Regnis item, qvorum vel autores fuerunt, vel everſores, libris XIV. à primo eorum origine ad A. C.* 1500. *deductam*, in folio. Reliqvos ſcriptores eruditè pro more perſecutus eſt *Joh. Mollerus, Iſag. ad Hiſt. Cherſon. Cimbr.* P. I. Cap. III. §. IV. ſq. pag. 18. ſqq. His adde *Matthæum Prætorium*, eiusqve orbem Gothicum qvatripartitum, & *Joh. Chriſtophori Vetteri* Notas in Tacitum *de Germ. moribus*, qui Vandalos vi vocis idem ſignificare ſtatuit, ac vagabundos derivationis ratione a vocabulo qvodam Germanico antiqvo petita. De Diis Vandalorum *Maſius in Antiqvitatibus Mecklenburgicis*, *El. Schedius de Diis Germanorum*, *Sam. Groſſerus* aliiqve egerunt. Fabulam *de Vandalorum Rege gentili*, ſed clanculo, Tollius *in Epiſt. Itinerariis* Epiſt. II. attigit. Numiſmata eorum *Tenzelius in Colloqv. menſtruis* A. 89. p. 915. ſq. expoſuit, converſionem verò ad Religionem Chriſtianam *Georgius Fridericus Stiberus* in Hiſt. Eccleſiaſt. Meclenburgica, ſ. von Stifftung der Chriſtl. Kirchen unter den Wenden, An. 1714. in 8. tradidit.

tempus ipsorum mysteriorum latibulo offerentes, & alios panes in mensa dispogentes, serpentem provocant: aperto autem latibulo procedit, & sic progressus ascendit in mensam, & panibus involvitur. Et hoc perfectum sacrificium esse volunt. Clarius impietatem eorum Augustinus Cap. XVII. de Hæresibus perseqvitur: *Habent etiam verum colubrum, quem nutriunt, & venerantur, qui & incantante sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit super altare innixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & involvens se circa eas regreditur ad speluncam, & ita confringunt oblationes in Eucharistiam,* (***) *quasi à serpente Christo sanctificatas.* Origenes L. VI. *contra Celsum* Ophianos Christianos esse, negat, cum neminem in suum sodalitium adsciscant, nisi prius Jesum execratus fuerit. Sive Christiani vocari possint, sin minus inter serpentum cultores rectè referri patet.

§. X.

Ad recentiora ut deveniamus tempora, recordari subit, qvæ *Bernh. Connor* (*) medicus celeberrimus in Historia Poloniæ per modum Epistolarum An. 1698. Anglicè, & postmodum etiam Germanicè edita tradidit,

 qvod

(**) Ophitæ à serpente sic dicti, vel, qvia ipsam σοφίαν, serpentem factam dixerunt, sive, qvia serpentem, tanqvam scientiæ boni, & mali autorem tanti fecerunt, ut ipsi Christo prætulerint, *vid. B. Thom. Ittig. dissert. de Hæresiarchis Sect. II. cap. IV. p. m.* 115. Dicebant iidem Hæretici, figuræ serpentinæ vim maximam inesse, idque exinde probare nitebantur, qvia intestina hominum serpentum instar essent convoluta, *conf. Paul. Stockmanni Elucid. Hæres. p.* 416. B. *Bebelius Hist. Eccl. Antediluv. p.* 17. observavit, Diabolum serpenti à Mose erecto & Christo per ipsum præfigurato illudere voluisse, inprimis cum typum istum & antitypum probationis loco allegaverint. Non diu perseverasse monstrosam hanc Sectam ex Origene ostendit D. *Phil. Jac. Hartmannus de Rebus Gestis Christ. sub Apostolis cap.* XXII. N. 17. p. 543. sq. ubi & alia notatu digna de obscuris hisce Hæreticis, qvorum mentionem Hildebrandus in Libello de Hæresibus planè omisit, commemorat.

(***) Ophitas pro forma Consecrationis incantationibus usos esse, Scholastici qvidam statuerunt, sed annotavit. B. *Scherzerus Syst. defin.* p. 382. Vasqvezium illos refutasse, atqve demonstrasse, Ophitas incantationibus solùm ex antro serpentem evocasse, atqve panem verè consecratum negasse, nisi serpens illum prius lamberet.

qvod ſcilicet in Poloniæ qvibusdam locis ſylveſtribus, in Samogitia inprimis, reperiantur, qvi ſerpentum quadrupedum qvoddam genus, quod *Givoſit* vocant, pro Deo venerentur, domique ſuæ alant, quin & ruſtici qvidam in Boruſſiæ atque Lithuaniæ nonnullis locis viperas ſolennius, quam par eſt, foverant. De Lithuanis *Baro Herberſtein* in Commentar. *Rerum Muſcowiticarum*, citante Dn. *D. Cyprian. Hiſt. Animal.* contin. 3342. ita diſſerit: Cum priori ex Moſcovia itinere rediens, in Troki veniſſem, referebat hoſpes meus, ad qvem fortè diverteram, ſe eodem, qvo ibi eram anno, ab ejusmodi qvodam ſerpentis cultore aliqvot alvearia apum emiſſe. Qvem cum oratione ſua ad verum Chriſti cultum adduxiſſet, utqve ſerpentem, qvem colebat, occideret, perſvaſiſſet: aliqvando poſt cum ad viſendas apes ſuas eò reverſus fuiſſet, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miſerabilem in modum diducto offendit. Tanti mali cauſam interrogatus reſpondit: ſe qvod ſerpenti, Deo ſuo, manus ne farias injeciſſet,

(*) Eſt idem Connor, qvi An. 1697. *Evangelium medici ſ. medicinam myſticam de ſuſpenſis Naturæ legibus*, ſ. *de miraculis reliquisque ἐν τοῖς βιβλίοις memoratis, quæ medicæ indagini ſubjici poſſunt*, publici juris fecit, multa in hoc libro paradoxa contineri, qvæ Lectoribus non omni ex parte ſeſe probare poſſint, fatentur Collectores *Act. Eruditor. Lipſ.* An. MDCXCVIII. p. 361. Diverſa diverſorum de famoſo iſthoc ſcripto Eruditorum judicia proſtant. Sit autem nobis inſtar omnium Cl. *Mich. Henricus Reinhardus* Diaconus hodie Pretſchenſis longè meritiſſimus. Ille in Diſp. de *Miraculis* Spinozæ, Connori, & Lokio oppoſita, Annoque MDCCXII. cum Rectorem adhuc Hilperhuſanum ageret, edita, Sect. III. §. 1. ſeqventia de noſtro pronunciavit: *Bern. Connor-Spinozæ proximus, qvi appartè ſe adſcripſit Naturaliſtarum ordini, in Evangelio Medici ſ. medicina myſtica, ſ. de ſuſpenſis naturæ legibus. Eqvidem ille pro religione chriſtiana ſcripſiſſe vult videri, ut Pyrrhonibus in religione & Deiſtis perſvaderet modum, & rationem, qva facta ſunt miracula, non minus perſpicuè poſſe concipi, qvam ſtipulam ex igne exuri, - - - interim ipſe palam hunc librum in Naturaliſtarum gratiam profitetur ſcriptum, & - - -* §. 2. vix conſeqvetur aliqvis verbis, *qvanta temeritate, qvanta petulantia, de Scræ ſacræ multis locis ubiqve diſputet.* Certè in finem non fecit alium, quàm *ut ſententiam Spinozæ de miraculis omnibus diris devovendam, novo tantum colore tingeret, & occultatam Epimethei Pandora peſtem Naturaliſmi tanto facilius in orbem Chriſtianum effunderet.*

ſet, ad piaculum expiandum luendumqve hac calamitate puniri, multaqve graviora, ſi ad priores ritus ſuos non rediret, pati ſe oportere. En Diaboli ſerpentis veteris malitiam! en qvomodo Dei ſapientiſſimi permiſſione miſeris mortalibus illudere ſoleat! Aſt, liceat addere verba Auctoris *des Moſcowitiſchen Kirchen-Staats*, (**) qvem D. Pritius Germana civitate donavit, ita verò ille Cap. VII. p. 60. Ὀφιολατρεία gehet bey den Ruſſen und Samojeten ſtarck in Schwange, alſo, daſs wenn ihnen in ihrem Hau-„ ſe etwas Wiedriges begegnet, ſie alſobald davor halten, man habe der„ Uncken oder der Haus-Schlangen, welche ſich in Reus-Land haüffig fin-„ den, nicht wohl auffgewartet, und ihr gute Biſslein gegeben, ſchauen„ derowegen wohl zu, daſs dieſelbige Haus-Uncke hinführo möge beſſer „ gepfleget werden. Reliqva Cl. *Olearius* in diſſertatione ſæpius laudata, §. XIII. perſeqvitur, hic non repetenda.

E 2 §. XI.

(**) An. 1698. liber hic lucem publicam aſpexit. Non ingratum erit Lectoribus noſtris, hac occaſione Autores nonnullos, qui de *Religione Moſcowitica, eorumque ritibus Eccleſiaſticis* commentati fuerunt, inveniſſe. De Religione ritibusqve Eccleſiaſticis Moſcowitarum ſub præſidio *Joh. Erneſti Gerhardi* An. MDCLXII. *Joh. Schwabe* Jenæ diſputavit, cum verò Literæ Moſcowiticæ in rubro diſputationis conſpicuæ idem ſignificent, ac *abominanda Religio* l. ſuperſtitio, Auctor illius varia fata acerba experiebatur, & vivicomburium vix effugiebat. Exercitatio Hiſtorico-Theologica B. *Dannhaueri de Religione Moſcowitarum* in ejus Diſqviſitionibus ſacris junctim editis N. XXXIII. apparet. De Religione, Ritibus, Ceremoniis, & ſuperſtitione Moſcowitarum *Jacobus Debia* Præbendarius Lincolnenſis Tractatum in 12. XI. Capitibus abſolutum An. 1712. edidit. Eodem Anno Francof. Anonymi Gallici Tract. *de Religione Moſcov. ortu & progreſſu* Germanice verſus, in 8. prodiit, XV. Capitibus conſtans, multisqve iconibus Deaſtrorum, qvibus Ruſſi olim ſacra fecerunt, diſtinctus. Holmiæ An. 1704. in 8. prodiit: *Nicolai Bergii* Exercitatio de ſtatu Eccleſiæ, & Relig. Moſcowiticæ. Notari inprimis meretur *Joh. Latzitzky*, qvi Librum de Ruſſorum, Moſcowitarum, & Tartarorum Religione, ſacrificiis, nuptiarum & funerum ritu è diverſis ſcriptoribus congeſſit, & An. 1582. Spiræ prelo ſubjecit. *Johannis Fabri* Moſcowitarum ad mare glaciale Religio, in *Corpore Auctorum rerum Moſcoviticarum* Francof. An. 1600. edito, invenitur. Perperam & minus prudenter qvidam qvæſi-

§. XI.

De Regni Fide in Gvineensium confiniis siti incolis è *Gvilielmi Bosmanni* Itinere ad *littoris Gvineensis in Africa provincias* suscepto sequentia annotarunt, *Acta Erudit. Lips.* An. MDCCV. pag. 265. Quisque incolarum tot sibi idola fingit, quod consultum esse duxerit, *ex omnibus autem serpentes agmen ducunt, qvos in ea veneratione habent, ut delubrum regni celebratissimum domum serpentis nuncupent*, ad quam peregrinationes frequenter instituunt, hostias quotidie deferunt, atque fortunatum inde in negotiis successum præstolantur. Illorum cultui certi sunt constituti Flamines, homines nauci, ac fraudulenti, qui artibus suis superstitiosam plebiculam argento emungunt, & Vatiniani inter conjuges odii semina spargunt. Serpentes autem, quorum ingens multitudo per ædes singulas discurrit, uti neminem lædunt, ita vicissim à nemine læduntur, sed eodem frequenter cum hominibus cibo victitant, & ab incolis tanta religione immunes ab adgressionibus servantur, ut, qvum Anglorum negotiatores angvem in hospitio obvium occidissent, ac cadaver foras projecissent, universa mox civitas, in qua patrata fuerat cædes, in rabiem quasi conversa convolaverit ad arma, neque prius quieti sese dederit, quam Anglis internecione occisis, mercibusque illorum igne penitus absumtis. Accidit etiam Anno circiter 1697. ut porcus angvem ob morsum sibi inflictum devoraret, idque tanta festinatione, ut Æthiopum, qui ad stabant, nemo serpenti suppetias ferre posset. Conversi ergo ad sacrificulos suos barbari, infortunium ordine exponunt, qui à Rege edictum extorquent, quo porci per universam regionem idcirco deleri jubeantur - - - . Contigit, ut ex laqueari conclavis Bosmanni quotidie serpens in mensam prandii tempore descenderet. Bosmannus cum ad Regis colloquium circa id tempus admitteretur, per jocum conquestus est, quod diebus singulis Deaster quidam gentis serpens apud ipsum haud invitatus pranderet, quem à mensa arcere & depellere cogatur, nisi Rex sumptus ad victum novi hospitis impensos liberaliter reddat. Quid ergò factum? Regulus narratione Bosmanni mirè delectatus, ut serpentem quiete illuc divertere permitteret, hortatur atque impensarum loco pingvem Autori bovem dono mittit. Fusius hoc adjecimus, non tàm, ut curiositati Lectorum satisfaceremus, sed ut deplorandam gentilium à veri Dei cognitione remotorum cœcitatem, turpissimasque sacrifi-

verunt: *An. Moscovitæ sint Christiani?* D. *Joh.* Botvidus An: 1620. Holmiæ peculiari dissertatione hocce problema examinavit.

crificulorum paganorum imposturas (*) detegeremus, nostrosque ad gratias Deo debitas incitaremus, qui à tam crassis ignorantiæ tenebris nos, majoresque nostros clementissimè liberavit. In India Orientali adhuc hodie serpentum quoddam genus colitur. Regis enim Calecutensis jussu tuguria eriguntur sub dio; ut serpentes sub iis nutriri, & ab aëris, ac tempestatis injuriis incolumes conservari possint, vid. *Richard. Mead Explication mechanique des Poisons.*

(*) Non in Ecclesia Romana solum piæ fraudes invaluerunt, sed etiam inter Ethnicos jamdudum viguerunt, à quorum sacrificulis Pontificii istas Hæreditario quasi jure acceperunt. Porphyrius Draconem s. serpentem assvefaciebat, ut ad Plotini spondam fatalem reperet, quo eò facilius gens credula in Apotheosin hujus consentiret, Apollinem enim sub serpentis specie apparere, persvasissimum ipsis erat. De Heraclite pontico *Diogenes Laërtius* L. V. Vit. Philos. p. m. 219. memoriæ prodidit, *nutrisse eum à puero Draconem, & cum jam moriturus esset, jussisse cuidam ex necessariis, ut ejus corpus occuleret, Draconemque supponeret lectulo, ut putaretur, ad Deos migrasse, factumque esse, ut ille mandaverat.* Imponebat eo ipso civibus suis, quibus in Deorum numerum se cooptatum esse persvadere, cupiebat. Verùm non diu latebat fraus. Cum enim Heraclidem cives efferrent, laudibusque prosequerentur, audito clamore Draco ex vestibus prosiluit, perturbavitque plurimos, tandem verò omnia aperta sunt, & Epigramma natum est:

Mirum Heraclides qvid tantum optaveris amens
Post mortem nobis ut viderere Draco,
Falsus at es, mihi crede, fuit nam bellua verè,
Ille Draco, sed eras bellua non sapiens.

conf. Cl. Dn. *Chr. Aug. Heumanni Acta Philosoph.* P. I. pag. 145. sq. Qvomodo idolo veteri *Busterich* dicto, credulæ plebi gentilium sacerdotes imposuerint, igneqve, qvem circumcircum spiravit, effecerint, ut fictam divinitatem donis muneribusque placaverint, *Henninus in Annot. ad Epistolas Itinerarias Jac. Tollii* p. 34. notavit, adde *Tenzelium in Colloq. menstruis* An. 1689. p. 719.

§. XII.

Varios hactenus populos in ſcenam produximus, qui, Satana inſtigante, Serpentibus divini quicquam tribuerunt. Jam, ut Exiſtentia turpiſſimi hujus cultus eò luculentiùs conſtet, *modum & rationem*, quomodo ſerpentes idololatricè honoraverint, paulò clarius exponemus.

Sectio II.

De modo vel ratione ſerpentes colendi.

§. XIII.

TEmplâ in honorem ſerpentum exſtruebant Ægyptii, eaque *Draconia* vocabant. Serpentes, ſi fortè vidiſſet ſuperſtitioſus in ædibus, erigebat eo loco ſacellum. *Joh. Philipp. Pfeifferum* vide Antiq. Græc. L. I. Cap. LXI. p. 171. De Romanis ſeqventia memoriæ prodidit *Joh. Roſinus* L. II. Antiq. Cap. XVII. p. m. 163. miſſi legati (Romanorum) in Epidaurum, & ab incolis benigniſſimè accepti, & in templum Æſculapii perducti, angvem, quem Epidauri pro Æſculapio coluerant, ſponte ad Romanorum navem pergentem, Romam vexerunt, ibique templo condito coluerunt. Tangit & *Arnobius* L. I. adv. Gent. inſanam hanc ſuperſtitionem his verbis: *Templa felibus, Scarabæis, (ſerpentibus) & buculis, ſublimibus ſunt elata faſtigiis, ſilent irriſæ numinum poteſtates, nec livore afficiuntur ullo, quod ſibi comparatas animantium vilium conſpiciunt ſanctitates.* Et quid mirum, veteres ſerpentibus ædes peculiares condidiſſe? cum hodie Sinenſium nonnulli templa habeant, quæ plena ſunt immanibus idolorum monſtris æreis, marmoreis, ligneis, luteis, ita ut haud injuſtè Ægyptiorum adyta ea voces, vid. *Kircheri Chin. Illuſtrat.* p. 133.

§. XIV.

(*) Templa gentes à cœtu Dei remoti jamdudum habuerunt. *Petrus Jurieu* omnem movet lapidem, *Hiſt. Critique des dogmes, & des Cultes* P. II. Cap. I. ut ante Iſraelitarum exitum ex Ægypto templa nuſpiam extitiſſe, demonſtret, uſum verò eorum ſub judicibus invaluiſſe,

§. XIV.

Sacrificia ſerpentibus obtulerunt miſeri Idololatræ *Hieronymus* [*] *Pragenſis*, teſte Sylvio, de Europa Cap. XXVI. ſuis oculis vidit, quomodo Lithuani, apud qvos diverterat, ſerpentes coluerint, pater enim qvisqve familias ſuum in angulo domus ſerpentem habebat, cui cibum dedit, ac ſacrificium fecit in fœno jacenti. Hos omnes juſſit Hieronymus interfici, & in foro adductos publicè cremari, inter qvos unus inventus eſt maior cæteris,

---

in qvorum Hiſtoria templ. Dagonis mentio occurrit, probet. Philiſtæos exemplum à Tabernaculo Moſis ſumſiſſe ſuſpicatur. Videntur tamen jam ante eos Ægyptii templorum ſtructuræ operam dediſſe, Herodotus enim aras & ſimulacra & templa Βωμὸς καὶ ἀγάλματα, κοινηθὲς primos conſtituiſſe Ægyptios memorat. Fecerunt autem hi teſte Strabone, & Arnobio, templa ſua ex Regum ſepulchris. Inde forte Clem. Alexandrinus à ſepulchris ipſammet templorum originem deduxit, ſepulchra certè magnificentius olim condita templorum appellatione inſignita fuerunt, vid. *Dn. D. Chriſt. Sonntag de Eccleſia ſubterran.* Cur. II. §. 2. qvi inde factum opinatur, ut ſepulchreta templis contigua hodienum conſpiciantur. Inde qvoqve dubio procul Chriſtiani per contemtum *ſepulchra*, gentilium templa vocabant, vid. *Nic. Hieron. Gundlingii Obſ. Select.* T. I. Obſ. VI. pag. 146. ubi vir eruditus ſeqventem Ammiani Marcellini locum ſubiungit: ubi reverſus Georgius Epiſcopus ex comitatu principis (Conſtantii) cum tranſiret per ſpecioſum genii templum, multitudine ſtipatus, ex more flexis ad ædem luminibus. *Qvamdiu*, inqvit, *ſepulchrum hocce ſtabit.* Idem Vir doctiſſimus obſervavit, Gentiles in iis locis, ubi Dii eorum ſepulti fuerant, templa atque ſacella moliri incepiſſe. Demus autem, Ægyptios aliosqve Gentiles ante Iſraelitas templa idololatrica condidiſſe, nihil tamen exinde lucrabitur *Joh. Spencerus*, qvi Salomonem Ethnicorum exemplo ad Templum vero Numini erigendum excitatum fuiſſe, tradidit. Dicimus enim cum *Conr. Sam. Schurtzfleiſchio*, Polyhiſtore quondam clariſſimo: omnino autem iſta opinio „ falſa, & ex qvorundam animis evellenda eſt, qvæ eò ſpectat, ut „ imperitis perſvadeatur, occaſionem ſtruendi templi à conſvetudine „ gentium formam, rationemque ædificandi à templis Ægyptiorum fu- „ iſſe deſumptam. Qvod voluntati Numinis templa arasqve & ſimu- „ lacra impiorum hominum, dirui præcipientis, & pietati Salomoni, „

teris qvem ſæpè admotus ignis cremari non potuit. *Olaus Magnus* Autor eſt, plerosqve Gentium Septentrionalium lacte [**] ſacra ſerpentibus feciſſe. Vandalorum mulieres angves in cavis qvercubus niveo lacte placaſſe humillimeqve adoraſſe, qvò maritis generandi facultatem concederent, *Hartknochius diſſ. X.* Rerum Pruſſicarum refert. Qvin homines formoſiſſimos Livoni veteres in honorem Draconum atqve ſerpentum mactabant, conf. *Trog. Arnkiel. Cymbriſche Heiden-Religion*, P. I. Cap. XXI. p. 123.

§. XV.

„ædem novo exemplo molientis, directe repugnat. Non ſpe-
„ctabat ad gentium inſtituta Salomo, neqve hac architectandi figu-
„ra egebat Rex maximus, cum omni recondita ſapientia, tum in-
„primis ædificandi ſcientia præditus, in eaqve re Dei & patris man-
„dato obſecutus Ægyptiorum & finitimarum gentium templa, velut,
„impietatis domicilia odit, & execratus eſt, idqve vocibus, & ar-
„gumentis multo apertiſſimis oſtendit. Conf. ejusd. diſſ. *de Tem-*
„*plorum Antiquitatibus* §. II. qvæ occurrit *in Oper. Hiſtor. Polit.*
„pag. 764.

[*] Duo eodem tempore floruerunt *Hieronymi Pragenſes*, id qvod opportune monuit Celeberrimus L' Enfant *Hiſt. du Concile de Conſtance* T. I. Lib. II. §. 20. Qvæ in paragrapho hoc attulimus, non de Huſſita ſed altero, cujus notitia longè obſcurior eſt, capienda eſſe putamus. Ille ſanè, Huſſi Aſſecla, vir fuit præſtantiſſimus, & ipſo Huſſo doctior. Humani tamen qvid patiebatur, cum formidine pœne doctrinam, qvam hactenus inculcaverat, revocaret, cuius rei verò illum qvàm maximè pœnituit. Ita autem verba Pragenſis doctiſſimus L' Enfant l. c. pag. 392. gallico idiomate exprimit: Ie n' ai pas honte, de confeſſer ma foibleſſe. Oüi, je l' avouë, & je le fais avec horreur, la ſeule frayeur du ſupplice du feu m' a fait conſentir lachement & contre ma conſcience à la condemnation de la doctrine de Wiclef & de Jean Hus. Qvo facto ad rogum damnatus An. 1416. tertio Calend. Junii par Huſſo certamen obiit.

[**] Veteres gentiles lac Numinibus ſuis obtuliſſe, ex Diodoro Siculo patet. Hic enim de antiqviſſimis Ægyptiis ſcribit: *ad urbem Philas, ubi Oſiridis ſepulchrum erat, trecentas & ſexaginta choas qvotidie lacte implebant invocantes Deorum nomina.* Habelem lac Deo in ſa-

§. XV.

Præterea pro geniis (*) locorum ſerpentes veteribus erant. Ad Virgilium provocare liceat, qvi poſt ambitioſam ſerpentis deſcriptionem ſubdit:

incertus Geniumne loci, famulum ne parentis
eſſe putet

Statius pariter notanter canit:

Interea campis, nemoris ſacer horror Achæi,
Terrigena erigitur ſerpens, tractuqve ſoluto,
Immanem ſeſe vehit, ac poſt terga relinqvit.

Plura Poëtarum teſtimonia ſuppeditabit *Thom. Dempſterus* Paralipp. ad Roſinum p. 154. ex qvo & hæcce deprompſimus. Superſtitioni huic ethnicæ certiſ-

ſacrificio ſuo exhibuiſſe, ex Geneſ. IV, 3. 4. poſt Joſephum, *Hugo Grotius* portentoſi ingenii vir, & *Joh. Clericus*, ſtatuunt, ſed rectè ſummè Rever. *D. Deilingius* P. II. *Obſerv. Sacr.* p. 51. monuit, oblationes lactis in populo Dei nunqvam fuiſſe uſitatas. Qvin adhuc hodie pleriqve ex Judæorum gente lacte abſtinere ſolent, id qvod notavit *B. Cnollius*, vir literaturæ Hebraicæ peritiſſimus, in *Relationibus Innocuis* An. MDCCXIV. p. 651.

(*) De Geniis multa & varia finxerunt veteres. Evolvantur modo *Georgii Wonnæ* Diſſertationes tres de Geniis, *Mollenbeccii* diſſert. de Genio Principis, qvas junctim exhibent *Carolus Bernicius*, & *Cornelius van Arckel* P. II. Faſciculi diſſert. Philologicarum. De Geniis & eorum cultu Antiqvarius, dum viveret, celeberrimus *Johannes Nicolai* Tract. de Phyllobolia, Cap. IV. p. 24. ſqq. egit. Nubem ſcriptorum de Geniis *Joh. Petr. Conradus Fuhrmannus*, Rector Gymnaſii Verdenſis, in Programmate de Geniis An. MDCCXIV. edito, congeſſit. Locorum Genios religioſè venerati ſunt Gentiles, vid. Autores citatos, Cainitæ Seculi II. Hæretici, de qvibus *Ittigium in diſſert. de Hæreſiarchis* & *P. Bælium*, *Dict. Critiq.* T. I. p. 758. adi. Hebræorum qvoqve magiſtri credunt, Deum in hac orbe terrarum cuncta mediantibus Angelis perficere, ſingulisqve locis certos præfeciſſe Genios. Conf. *Joh. Henr. Maji Oecon. Jud. div.* P. I. p. 497. Gentilium è Rivulis Pontificii biberunt. Ita enim *Henr. Morus Oper. Theologic.* pag. 665. *Qvemadmo-*

certissimè debentur, qvæ nostri de clamore angvis domestici, vulgò *des Haus-Uncken* (**) fabulantur, & nescio, qvid tragici, vel portenti inde ominentur?

§. XVI.

Auguria ex serpentibus Græci capiebant. Vaticinandi peritiam Auguribus inspirare crediti sunt angves. De Helena & Cassandra Priami liberis in Apollinis Fano dormientibus Euripidis Scholiastes refert: Serpentes cum accessissent, & eorum aures circumlinxissent, auditum ita exacuerunt, ut Deorum consilia soli audirent, & vates essent præstantissimi, vid. plura in Dissertatione *Dn. Olearii* de Ὀφιολαλεσία §. X. qvæ huc transferre nolumus. Uberiora *de auguriis serpentum* habet *Julius Cæsar Bulengerus* in Libris de Auguriis & auspiciis veterum, qvos *Grævius* Thesauro Anti-

---

dum veteres pagani tutelaria sua Numina habuerunt Regnorum, Provinciarum, & civitatum, Dii, qvibus imperium hoc steterat; ita Romana Ecclesia suos habet tutelares sanctos hisce paganis Numinibus ad amussim respondentes, ut S. Gregorium pro Anglia, S. Andream pro Scotia - - - -. Cum autem Genius ex Ethnicorum mente Deus fuerit, qvi vim obtineret rerum gerendarum omnium, vid. *Sim. Majol. T. II. Dier. Canic.* Colloq. I. p. 290. serpentes pro Diis habuisse, dum Geniorum loco ipsis fuerunt, certum est.

(**) Superstitionem hanc *de serpente domestico dem Haus-Uncken B. Arnoldus Mengeringius* Cap. V. Scrutin. Conscient. Q. 126. pag. 289. castigavit, atqve severè in eos animadvertere solitus est, *welche so viel auf Haus-Uncken, und Schlangen halten, dass sie meynen, dass ihre Nahrung, Gesundheit, und Haus-Seegen dependire von solchen Ungeziefer, und Teufels-Geschmeis.* Risit verò eandem medicus qvondam Altenburgensium celeberrimus *D. Gabriel Clauderus*, & in Ephemeridibus Naturæ Curiosorum Decur. II. An. III. pag. 167, 168. angvem istum domesticum nil *nisi murium genus* (*eine Spitz-Maus*) *esse probavit*, & An. 1679. experimento qvodam in civis cujusdam ædibus, cujus inqvilini talem angvem vehementer metuebant, facto, ad oculum demonstravit. Evolvat Lector *Tentzelii Colloq. Menstr.* An. 1691. p. 516, 517.

Antiqvitatum Romanarum inſeruit. Conſ. etiam, *Vulcanium ad Callimachum* p. 202, & *Simonem Patricium* in Comment. ad Geneſin, qvi Auctores *de cultu ſerpentum apud gentiles* nonnulla obſervarunt, ſed mihi non contigit eſſe tam felici, ut eosdem inſpicere potuerim. A viris doctiſſimis verba Levit. XIX, 26. allegantur. Iis enim Deus augurium ex ſerpentibus capi ſolitum, necnon ritum ſerpentes incantandi, qvem huc referunt, [*] ſeveriſſimè prohibuit, vid. *Deylingii Obſ. S.* P. II. p. 166. ſq.

§. XVII.

Deaſtros ſuos aut ſerpentis figura colebant, aut ſimulacris eorum ſpeciem ejusmodi animalis apponebant. Sic Æſculapii ſignum Draco vel ſerpens fuit. Licet enim plurium Deorum ſtatuis & imaginibus adderentur, ſingulari tamen & proprio quodam modo Æſculapio qvippe ſalutis Deo, & medicorum Coryphæo jungebantur, eam qvidem ob cauſam, *qvia præſtant, ut humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant vigorem, ut vireſcunt Dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exuta*, qvæ *Macrobii* verba ſunt, vel juxta *Pompejum*, qvod *Draco vigilantiſſimum ſit animal*, qvæ res ad tuendam valetudinem ægroti maximè

 apta

[*] Ex incantatione ſerpentum nonnulli divini qvid veteres animalibus hiſce tribuiſſe, probare, & ſpeciem qvandam cultus elicere ſatagerunt: verum minus, ut opinor, accuratè. Incantatio enim illa ad magiam potius vel naturalem, vel Diabolicam, qvàm ad religionem paganam ſpectat. Qvicqvid tamen ejus ſit; de Incantatione ſerpentum Pſaltes regius Pſ. LVIII, 5. loqvitur, ad qvem locum varia erudita, & curioſa congeſſit *Auguſtinus Calmet* Comment. Litteraire in Pſalm. T. I. diſſert. ultima, qvorum ſumma exhibetur in *Journ. des Sgav.* 1713. Menſ. Septembr. p. 251. ſq. Edit. Amſtelod. *Ægyptii* inprimis ob ſerpentum incantationem celebrantur, & poſt eos *Pſylli* Africæ populi, vid. *Marshamum in Can. Chron. Sect.* IX. p. 148. ſq. Notavimus ſupra impiam hujus ſententiam de ſerpente æneo à Moſe erecto, jam propria verba accipe: *Moſes autem ſerpente æneo perticæ impoſito non tam ſerpentes igneos incantabat, ne nocerent, qvam eorum venenum extingvebat, & morſus arte levabat.* His adde, qvæ *Morhoſius* Tom. II. *Polyhiſt. Liter.* L. III. p. m. 496. ſq. de incantatione ſerpentum notavit.

apta est. *Pausanias*, & *Valerius Maximus* ideò hoc factum esse tradunt, qvod plurima in genus humanum remedia ex hoc animalium genere depromuntur. Vid. *Matth. Zimmermanni Anal. Menstr. mens. IV.* p. 220. *Olearii Dissert.* de Ὀφιολατρεία §. XII. & qvi primo loco erat nominandus, *Christophorum Cellarium*, *in Dissert. de Orig. & Antiqvit. medicis Dissert. Acad.* P. I. pag. 238. sq. Philologus hic celeberrimus p. 241. l. c. suspicatur, ab æneo serpente salutis causa in solitudine erecto ad gentes manasse, unde serpentum Æsculapio affingerent, parem sententiam *Mr. de Boze in Dissertat. sur le Janus des Anciens*, ubi conjicit, qve les Payens avoient tiré cette partie, de leur Religion de l' Histoire de Moyse, qvi fit élever un serpent d'airain, dans le desert, pour la de guerison de ceux, qvi avoient été mordus par des serpens. Sed, qvanqvam ingeniosa sit hæc conjectura (*), lubrico tamen fundamento eam niti, credimus.

§. XVIII.

(*) Eadem est *P. Dan. Huetii sententia, de Concordia Rationis & Fidei*, Libr. II. Cap. XII. qvi P. I. *demonstr. Evangelicæ*, Propos. IV. Cap. III. p. m. 114. sqq. priscos gentium Deos & Heroas, qvicunqve per universum orbem culti sunt, totamqve Ethnicorum Theologiam ex Mose ipso, Mosisve actis aut scriptionibus manasse, fuse demonstrare conatus est. Idem ante eum *Octavius Falconetius* in Dissertatione An. 1667. Romæ *de Nummo Appamensi deucalionæi diluvii Typum exhibente* edita, tentavit. Lubrico hæcce fundamento nituntur, & nil nisi ingenium sapiunt virorum doctorum. Diabolus certè Idololatriam introduxerat, ante Judæorum res gestæ qvam literis mandarentur. Longè ante serpentis ænei erectionem Ægyptii varia animalium genera in Deorum numerum cooptarant, & fortè etiam serpentes. Rudi isto seculo Judæorum res non ad alias nationes tàm citò deferebantur, quas, si ad eas delatæ fuissent, risu potius, quam imitatione excepissent. Vix fidem qvoqve rebus & factis rationem longè transcendentibus tribuissent. Interim non negamus, Gentilium Prophetas Historias nonnullas Biblicas in fabulas vertisse, sive ex malitia, sive, qvod non rectè eas acceperint. Haud etiam inficias ire volo, seqventibus temporibus, Judæorum gente in captivitatem ducta, versioneqve Græca Ptolomæi cura adornata, scripturam à Gentilium Philosophis lectam fuisse, qvod mecum fatentur *Dn. D. Buddeus Instit. Theol. Moral.* P. II. Cap. II. p. 549. *Gothofredus Vockerod Exerc. Academic.* p. 229. sq.

§. XVIII.

Notatu digni ſunt angves *in Caduceo* (*) *Mercurii impliciti. Laur. Ram. de Prado, Pentecontarch.* Cap. I. p. 4. hanc eorum reddit rationem, qvod ſcilicet Mercurius Interpres Divum dictus fuerit. Cum autem Oratoris munus, Qvintiliano teſte, inſinuatio, Græce παρείσδυσις, qvod nomen à ſerpentibus ducitur, ſit, ideò caduceum angvibus ornatum fuiſſe, putat, nihil enim magis ſe inſinuat, qvam ſerpens. Divinitatis qvoddam ſymbolum in Mercurii caduceo fuerunt ſerpentes. Mithræ qvoqve (**) ſchemata ubiqve ſerpentem appoſitum habent, qvod ex *Montfauconii* Diario Italico Cap. XIV. p. 199. notavit *Cl. Doppert.* Tom. I. *Miſcell. Lipſienſ.* p. 69.

(*) Baculis Ethnicorum Dii erant plerumqve inſtructi in præeminentiæ, & majeſtatis ſignum. Notus eſt Bacchi *Thyrſus*, de qvo Vid. *Joh. Nicolai Phyllobolium*, Cap. XIV. §. 7. p. 108. ſqq. *Hoffmanni Lexic. univerſal.* ſub voc. Thyrſus, *& Joh. Chriſt. Hebenſtreit, Diſſert. de* Βακχοις, ad Ezech. VIII, 17. §. XXI. pag. 26. de Æſculapii baculo intorto *Cellarius* egit, Diſſert. Acad. P. I. pag. 239. Junonem in Numiſmatibus qvibusdam Antonini Pii baculo ornatam conſpici, obſervarunt Auctores *Actorum: Erud. German.* P. VIII. p. 674. Referres huc baculos in æde *Iſidis*, *conf. Zimmerm. Anal. menſtr.* p. 51. & ipſum *Lituum Augurum*, de qvo *Joh. Georg. Grævius, Theſaur. Antiq. Roman.* T. V. ſub initium, *Andr. Chriſt. Eſchenbach Diſſert. Acad.* p. 582. ſq. *& Bartholinus de Tibiis Veterum*, L. III. Cap. VII. p. 406, 407. uberiora ſuppeditabunt. Cæterum de baculis curioſa nonnulla lege in *Joh. Ciampini monum. veter. in qvibus præcipua muſiva opera illuſtrantur*, P. I. Cap. XV, qvod agit *de antiqvo baculorum uſu, & ſymbolo*, varia etiam congeſſimus *in Obſervationibus noſtris Miſcellaneis* T. I. pag. 427. *De Mercurio* vid. *Stockmanni Elucid. Deorum Dearumqve Gentil.* p. 173. *L'abbé B. Explication Hiſtoriqve des Fables Entret. VI. Sartor. de Hypocriſi Gentil. circa* Cult. Deorum Cap. VIII. §. XIII. Germanos Deorum maximè *Mercurium* coluiſſe, *Tacitus* Autor eſt, vid. *Eliam Schedium de Diis German.* Cap. V. p. 107. 110.

(**) *Mithram* ejusqve ſacra omnium optimè deſcripſit *Thomas Hyde, Hist. Relig. veterum Perſarum* eorumqve Magorum Cap. IV. conf. *Tenzelii Bibliothecam curioſam* Repoſit. I. pag. 853. ſq. *Summariſche Nach-*

§. XIX.

In Nummis qvoqve Veterum Draconum, atque ſerpentum effigies cernimus. Provoco ad Antonii Triumviri, Auguſti, Neronis, Veſpaſiani, Titi, Domitiani, Adriani, Commodi, Antonini Pii aliorumqve Numiſmata, item ad Juliæ Domnæ Nummum qvendam ſerpentem pluribus ſpiris involutum, exhibentem, cujus copiam Harduinus in Nummis Antiqvis illuſtratis p. 312. dedit. In Nummo ſane Claudii, de quo *Svetonius* Cap. XI. in vita ejus, ſubjectus ſerpens ſive Draco reverentiam qvandam, & divinitatis opinionem Cæſari acceſſiſſe, innuit. Oportunè recordor Familiæ Aciliæ monetam, qvæ fœminam brachio ſiniſtro columnæ minori nixam, dextra verò manu ſerpentem tenentem ſiſtit, additis verbis: *M. V. ACILIUS III. VIR VALETV.* de vocabulo poſtremo diſceptant Eruditi. Patinus legit *Valetudinarius*, Onuphrius, *Valetudinis* tuendæ, in eo enim conſentiunt, Acilium, Triumvirum, vel magiſtratum ſanitatis fuiſſe. Verum contrariam arripit ſententiam Mr. de Boze diſſert. (*) *ſur le Janus des Anciens, & ſur qvelqves medailles qui yont rapport.* Negat Romæ unqvam ſanitatis magiſtratus fuiſſe, omnem difficultatem in nomine *Acilius* ſitam eſſe credens, quod à Græco ἀκέομαι i. e. ſanare derivat. Quæ cum ita ſint *Valetu.* interpretatur *Valetudini*, & familiam Aciliam *Deæ ſaluti*, vel ideò ſacra iſthoc numiſmate feciſſe, ſtatuit, quia ipſa à ſanando nomen obtinuerit. Plura de hac materia *Laurentius Begerus* in Diſſertatione ſæpius laudata *de Nummis Cretenſ. Serpentiferis* ſuppeditabit.

§. XX.

---

richt von allerhand Büchern aus der Thomaſiſchen Bibliothec P. III. pag. 220. ſqq. de mithra ejusqve Tabulis Symbolicis, & ſacris, fusè egit *Philippus à Turre* P. II. *Monument. veteris Antii*, vid. *Act. Erudit.* MDCCI. p. 264. ſq. ubi Mithræ ſchema ejusqve ſacra ære inciſa exhibentur.

(*) Groſei de Boſe Diſſertationem *de Jano veterum Chriſtophorus Woltereck* Electis ſuis Rei Nummariæ, An. MDCCIX. in 4. Hamburgi editis, inſeruit. Gentiles Appollinem, Æſculapium, Hygeiam, ſalutem Deam coluiſſe, non eſt dubium, vid. *Cellarium l. cit.* p. 248. ſq. Nonne Apollo apud Ovidium L. I. metamorph. jactabat?

Inventum medicina meum eſt, opiferqve per orbem,
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

§. XX.

Nisi denique omnia me fallunt, & monetæ recentiores cultus serpentum veteribus solennis vestigia quædam sistunt. Quanquam enim, quæ ineffabilis Dei gratia est, magnates nostri, à turpi & fœda illa superstitione remotissimi vivant, figuræ tamen nonnullæ in numismatibus antiqvis obviæ in nostras monetas derivatæ sunt, ita tamen, ut quæ olim Apotheosis & divinitatis, jam majestatis, prudentiæ & præeminentiæ symbola existant. Sic non de Persarum modo modernorum Nummis *Adam Olearius* in Hodoperico pag. 425. perhibet, quod Satyrorum & serpentum species creberrimè exhibeant, sed in nummo qvoqve rarissimo *Galeatii & Mariæ Sfortiæ, Vice Comitis*, (*) *& Ducis Mediolanensis* serpens apparet. Recentissimos inter Nummus in obitum *Leopoldi Magni* Imperatoris cusus eminet. Sistitur in ejus antica Castrum doloris, ad cujus basin fœmina mœrens, & sinistra manu lacrymas abstergens comparet, additis superius verbis; *Extinctus amabitur*: inferiùs, *luctus publicus*. In postica, Genius gloriam denotans conspicitur, qui D. Imperatoris imaginem serpente in gyrum rotata cinctam gestat - - - vid. *Thesaurum Historico Numismaticum Anni MDCCV. Noribergæ An.* 1714. *editum* pag. 492. ubi uberior Nummi huius speciosi descriptio comparet, cui compendium vitæ Cæsaris immortali laude digni præmissum est.

§. XXI.

Detestanda cœcorum Gentilium superstitio! cujus forte Asa Rex Judæorum sese reum fecerat, de illo enim notanter Spiritus S. 2. Paralip. XVI, 12. *sed etiam in morbo suo non qvæsivit Jehovam, verum medicos.*

(*) Historiam Ducis huius *Hieronymus Henninges* in Theatro Genealog. T. 10. P. III. p. 1110. prolixam exhibet. Summa rerum in Ducatu Mediolanensi An. 1466. potitus venationibus, pilæ, atque amori nimium indulsit; A. 1477. ipso Festo natalitio pugione perfossus misere periit. Serpentem quod attinet, illum Insignibus Mediolanensibus conspici, notum est. Diversam eius originem affert Munsterus in Cosmographia. Deducit nimirum istam vel ab Azone, qui sub seculi XIV. initium floruit, cuius in galeam serpens sese fortè insinuaverat, vel ab Ottone Vicecomite Mediolanensi, qui An. 1099. in expugnatione urbis Hierosolymitanæ clypeum Turcæ cuidam extorserat, cui serpens infantem tenerum ore tenens incisa erat.

§. XXI.

In eo hactenus labor noster occupatus fuit, ut cultus huius *Existentiam* demonstraremus, deque *ratione & qualitate* illius paulò curatius inquireremus. Omni igitur sine remora secundis velis ad portum navigare poterimus. Subiungimus proinde.

CAPUT TERTIUM

Sectio I. moralis.

§. I.

SUmmam serpentis antiqvi (*) Diaboli astutiam ante omnia notemus. Hic, cum cerneret consilium, homines ad imaginem Dei effictos sub serpentis specie singulos in abyssum præcipitandi irritum per Protevangelium de contritione Capitis serpentini à mulieris Semine i. e. Christo peragenda redditum esse, novas pro insigni, qua pollet, versutia moliebatur machinationes, eò omnem movens lapidem, ut seminis istius benedicti promissio non modo penitus in animis mortalium obliteretur, sed ipsi serpentes Numinis instar in Dei opprobrium venerentur. Quo sanè cladem humano generi in Paradiso illatam renovavit. Rectè proinde Venerabilis (**) Beda in Luc. XI. Tom. II. Oper. p. 101. judicavit, *arma in qvibus malè*

(*) Diabolus in S. Pagina *Draconis*, vel *serpentis* nomine summam ob astutiam, & nocendi cupidinem venit, vid. *Joh. Botsacci Moral. Gedanens.* p. m. 974. *Fesselii Regn. Diab. mystic.* P. I. pag. 480. sq. Neque apud Christianos solùm, sed Persas etiam aliosque orbis incolas vocabulo isto designatur, vid. *Tom. Hyde de Relig. Vet. Persarum* Cap. III. Arabes appellant serpentem Satanam, & Zabii crediderunt, Dæmonas in eiusmodi animalia transformatos, id qvod supra Cap. I. Sect. II. §. X. notavimus è *Hadr. Relandi* L. II. *de Relig. Mohammed.* p. 134. sq.

(**) De cognomine *Bedæ Venerabilis* Epistolam vide Anonymi, in *Observ. Selectis Nic. Hier. Gundlingii* T. I. p. 161. sq. cuius Autor post varias coniecturas incertas illam tandem laudat, qvâ propter singularem

malè fortis ille confidit, astutias dolosqve, spolia verò homines esse ab eo deceptos. Rectè qvoqve *Bernhardus*, *Serm.* 3. *de Sept. Panibus*, *nunc apertè*, *nunc violenter*, *nunc occultè*, *ac fraudulenter*, *semper tamen malitiosè*, *& crudeliter Sotanam agere*, monuit. Conf. Es. XXVII, 1. 2. Corinth. XI, 3.

§. II.

Inimicitias, quas Deus inter serpentem, & mulierem posuit, Genes. III, 15. (*) non ad serpentem naturalem, sed Diabolum pertinere vel ex hoc, qvem descripsimus cultu serpentum patet. Quod enim Dei instar veneror, istud odeo non proseqvor, dictat enim homini natura Deum esse diligendum. Excipis, & Diabolum à quibusdam vel ideò honorari, ne noceat? respondeo, Cacodæmonem ab Idololatris ejusmodi pro Autore & principe omnis mali haberi, cultumque nefandum non ex amore quodam, sed timore potius servili profluere. Duo enim cum Manichæis admittunt principia bonum & malum, prius non posterius amore dignum judicant. Serpentes præterea semper pro fausto, & felici omine priscis fuerunt.

---

sanctitatem cum morum, tùm officii cognomen hocce illi datum fuisse asseritur.

(*) Quemadmodum Christus non proprie dicti serpentis caput contrivit: ita inimicitiæ quoque ad eundem minime pertinet Hoc *Deus* juxta sententiam *B. Lyseri voluit dicere*: *Tu Satan tenes homines jam captivos*, *ut sint tuæ tyrannidi subjecti*, *sed prædico tibi*, *non perpetuò eos retinebis*, *sed fient liberi*, *ita*, *ut sint aperti tui hostes futuri* Comment. in h. l. p. m. 273. Conf. *Dn. D. Joh. Henr. Maji Theol. Prophetic.* P. I. p. 262. sq. maximè Reverendi Dn. *M. Caroli Gottfr. Engelschallii* meditationes ad dicta Geneseos illustriora, p. 54. *Theophil. Alethæi Gründliche Erläuterung*, T. I. p. 89. sqq. Eodem nobis cum argumento utitur *Jacobus Basnagius Antiqvit. Judaic.* T II. pag. 367. Addimus experientiam contra secus sentientes militare. Est enim serpens Sinensibus auspicatum animal, *Andr. Mulleri Specimina Sinica*, pag. 51. *Pleni*, inquit, *Draconum & serpentum sunt libri Sinensium*, *Brachmannum aliorumqve.* Apud Indos circulatores docent serpentes varios ad sonos musicos in publico saltare, vid. *Olai Borrichii Dissert. Academ.* cura *Severini Lintrupii* editas Tom. II. Diss. XII. qvæ agit de specie Serpentis, qvæ Evam decepit.

§. III.

In *Cornu aureo* (*) Danico ejusqve circulo primo infans nudus duobus circumseptus serpentibus conspicitur. Quam figuram *Olaus Wormius* in Responsione de cornu aureo ad *Licetum* ita explicavit, ut initium vitæ humanæ parum à bestiarum miseriis differre, gentiles innuisse, putaverit. Nos exinde conjicimus, à tenera ætate infantes serpentibus vovisse superstitiosos veteres, & ad eam demum devenimus meditationem, homines à pueritia & ineunte adolescentia diabolici serpentis insidiis expositos vivere. Videamus ergò, ut Juventus nostra maturè Christum discat, qvi caput serpentis infernalis conterit, seqve nostrum non modo, sed etiam seminis nostri Deum perspicuè professus est.

§. IV.

Posito, Gentiles sub serpentis simulacro Deum invisibilem adorare voluisse, non tamen excusandi forent, Deus enim Exod. XX, 4. 15. severissimè idololatriam hanc prohibuit. Ita autem ex loco citato argumentamur: Qvi noluit concedere, ut sculptile, aut ulla figura, quæ in cœlis desuper, & quæ in terra infra, & quæ in aquis sub terra effingatur, ille etiam nullum vivum animal, qvocunqve nomine veniat, in Dei vicem adoptari voluit, atqvi

---

(*) De vetustissimo pariter, ac pretiosissimo isto cornu, à virgine rustica A. 1639. in via publica *Mœgeltunderensi* reperto, primus observationes suas publici juris fecit A. 1641. *Olaus Wormius*, Medicus, & Philologus celeberrimus, qvi A. 1654, cum Fasces Rectorales Academiæ gereret, diem suum obiit. Hunc exceperunt *Paulus Egardus*, *Envaldus Nicolai Randulfus*, *Petrus Wistrupius*, *Thomas Bartholinus*, *Trog. Arnkiel*, de qvibus plura vide apud *Joh. Mollerum in Isagog. ad Histor. Chersones. Cimbric.* P. I. Cap. IV. p. 28. sq. *Act. Erud. Lips.* 1704. p. 333. sq. Novo eoque satis curioso Commentario Cornu hoc famosissimum adornabit, à virorum modo laudatorum sententiis discedet, & nova planè methodo figuras ibidem obvias explanabit *M. Georgius Sonnerupius*, prout ex Novellis literariis Lipsiæ hebdomatim prodeuntibus An. MDCCXV. N. XLVII. p. 374. certiores facti sumus. Differt verò *Tunderense ab Oldenburgico*, de qvo multa fabulosa tradidit *Herm. Hamelmannus* in Chronico Oldenburgico, vid. *Arnkiel von güldnen Horn* Cap. V. p. 20. sqq.

atqvi Deus optimus. - - E. *Moncæji* igitur errorem errant, (*) qvotqvot Idololatras excusant ex hoc capite, qvod non serpentes, sed sub eorum specie Deum verum coluerint.

§. V.

Dantur proh Christiani, qui sese certo modo cultus Serpentum reos faciunt! Tunc enim serpenti antiqvo gratum offerunt sacrificium, quando prudentiæ spiritualis [*] obliti, nimis callidi & astuti sunt in peccatis excusandis, [**] celandis, & committendis. Serpentum instar sinuosi sunt, cum crimina perpetrata confiteri debent.

(*) Francisco Moncæjo, cujus *Aaron purgatus* in omnium manibus versatur, *Paulus Boudot*, Theologus Parisiensis, *Joh. Boucherus*, Canonicus Tornacensis, *Jac. Gretserus*, *Gaffarellus*, Jesuitæ, è recentioribus, *Herm. von der Hardt*, aliique portentosi ingenii Critici assentiuntur. Notamus hac occasione, Moncæjum ingeniosæ utut falsæ illius opinionis Auctorem minimè esse, ex putidis Rabbinorum lacunis bibit, & cum *Rab. Raschi*, & *Zennorennæ* vitulis aravit. Eadem ferè excusatione Pontificii utuntur, prætendentes, se non imagines argenteas vel ligneas, sed Sanctos, qvorum speciem mentiuntur, non crucem, sed Christum crucifixum venerari: verum destruxit speciosam hanc exceptionem *Petrus Jurieu preservatif contre le Changem. de Relig.* Art. VI. p. 141. sq. conf. *Les Entretiens des Voyageurs sur la mer* [1704. iterata vice edit.] P. I. p. 98. sq.

[*] *De prudentia christiana* benè egerunt *Dn. D. Buddeus Instit. Theol. moral.* P. II. p. 472. sq. *B. Schomerus*, *Theol. Moral.* Cap. XX. p. 446. B. *Joh. Bened. Carpzovius*, P. VI. *Homil. Funebr.* pag. 462. B. *Joh. Schmidius*, in Tractatu, cujus titulus: *Christliche Weissheit*. B. *Danhauerus*, *Lac. Catechet.* P. VIII. p. 521. sqq. *Dn. Carolus Godofr. Engelschall*, *in Homilia Metanoëtica* ad Ps. XC, 11. 12. 13. Dresd. 1711. habita, &, qvi primo loco nominandus erat. *Dn. D. Michaël Fœrtschius*, in Diss. Theologica, *de Excessibus in Pietatis studio*, Jen. 1708. §. XIII. sq. p. 17-25.

[**] Protervis hominibus nihil solennius est, qvàm peccata excusare, qvâ re se ipsos tamen vehementer decipiunt, 1. Joh. I, 10. Graviter de ista

§. VI.

Obſtupeſcimus, qvotiescunqve legimus, Gentiles veteres ſplendida Templa in ſerpentum gratiam adornaſſe, qvale verò de illis judicium feremus, qvi ſerpenti antiqvo è cœlo relegato, Apocal. XII, 9. cor ſuum dicant, utqve efficaciter in illo [*] operetur permittunt? Nonne illos tremendum Dei judicium feriet, qvod Apoſtolus minatur, 1. Cor. III, 17?

§. VII.

Qvi ſerpentum inſtar proximum lædunt, & veneno calumniarum [**] inficiunt, Diabolo gratum faciunt, & longè deteriores ſunt Ethnicis, qvi cultus ſæpiſſimè memorati ſe reos conſtituerunt.

§. VIII.

---

malitia conqveſti ſunt Theologi noſtri, vid. B. *Chriſt. Scriver. Seelen-ſchatz*, P. III. Conc. II. B. *Schomer. Theol. Moral.* p. 455. *M. Jacobi Nichtige* Feigen-*Blätter*, aliosqve *in Unſchuld. Nachrichten*, An. 1708. p. 415. citatos.

[*] Obſeſſionem ſpiritualem innuimus, qvàm non eo qvo *Willh. Cowardus*, ſenſu adſtruimus, qvi in The juſt Scrutiny ſ. *ſcrutinio exacto* [Londini prodiit 1706. in 8.] *Diabolum non corporaliter, ſed per virtutem ſpiritualem homines obſidere ſtatuit.* Datur utiqve obſeſſio corporalis poſt Chriſti paſſionem & reſurrectionem non adeò freqvens, ab hac tamen differt ſpiritualis, cujus formam Theologi rectè conſiſtere dicunt, tùm in propinquiori ſubſtantiæ Diaboli ad animam impii adeſſentia, Luc. XI, 24. 26. tùm in efficaci & ad quævis vitia impellente ἐνεργείᾳ. Propinquiorem aſſerimus Diaboli præſentiam, non tamen intimam, i. e. talem, qua corpori anima, materiæ forma præſens eſt. Hic pertinent loca Scripturæ ſacræ, Luc. XXII, 3. Eph. II, 2. 2. Corinth. IV, 4. 2. Tim. II, 26.

[**] Calumniatorum ſymbolum ſunt ſerpentes, vid. *Laur. Beyerlingi, Theatr. Vit. Hum.* T. VII. p. 201. *Furetiere Diction. Univerſ.* T. III. Artic. *Serpent.* Turpe ſanè vitium calumnia, cujus rei olim ſtigmate litera, nimirum K notabantur. Ita enim Cicero pro Roſcio: *Crura qvidem vobis nemo ſuffringet, ſed ſi ego hos benè novi, literam illam, cui vos usqve eo inimici eſtis, ut etiam eas omnes aderitis, ita vehementer ad caput affigam, ut poſtea neminem alium niſi fortunas veſtras*

§. VIII.

Qvi famulos famulasqve perfrictæ frontis, i. e. hominès in Deum & proximum injurios (*) soboliqve teneræ scandala objicientes spontè in ædibus suis alunt, impietateqve eorum delectantur, dummodo Oeconomica ritè peragant, tam exosi sanctissimo Deo sunt, qvàm gentiles, qui serpentes domesticos colebant, lætissimisqve ferculis ab illis prægustatis perfruebantur, qvin illo anno omnia sibi prosperè eventura sperabant, vid. *Laur. Beyerling. Theatr. Vit. Hum.* T. VII. p. 201. sq. Sed vela nunc contrahamus, tandemqve portum respiciamus! Coronidis tamen loco *miscellanea* qvædam bona cum Lectoris venia de serpentibus annectamus, qvæ per me alto supercilio contemnat, qvisqvis hujusmodi non delectatur.

Sectio II. Miscellanea.

§. IX.

SErpentes ad *longævitatem* [*] conducere Veteres putabant, Lotichius Nobilem nominat, qvi carne serpentina qvotidie vescebatur & summam ad canitiem, vitam suam producebat, vid. *Christ. Lehmanni Theatr.*

accusare possitis. Piscosæ volucri calumniatores similes sunt, cui rostrum duorum palmorum ave penè tota longius est, & simul acutissimum, vid. *Drexel.* T. I. *Oper.* pag. 1093. Egregiè, & ad nostram mentem *Dn. D. Majus, P. I. Oecon. Jud. div.* p. 499. *mendacia, blasphemiæ, calumniæ sunt viperini partus orti, & prognati ex antiqvo serpente Diabolo, Dracone volante, & in corda se insinuante operanteqve ἐν υἱοῖς τῆς ἀπειθείας.* Conf. Matth. III, 7.

(*) Regius Vates Ps. CI, 4. cecinit: *Cor perversum recedet à me, malum non agnosco.* Ad qvæ per verba B. *Geierus Comment.* in Psalm. p. m. 1825. seqventia notavit: *Ministerio pravorum uti haud licet: recedat à te. Sicut Jacobi Josephiqve servitia secum ferebant benedictionem* (Gen. XXX, 28. XXXIX, 3.) *ita maledictio abesse neqvit à Satanæ mancipiis, si eadem in domo adhibeamus nostra.* Multum valet Exemplorum efficacia, arcendi igitur sunt è familia vitiosi servi servæqve, vid. *Dn. Christoph. Sam. Martini, Dissert. de Vi seu Efficacia Exemplorum*, Lips. 1686. §. VII.

Theatr. Curiosor. in Promontorio Misniæ, Cap. II. P. XI. & ex eo *Tenzel. Curieus. Biblioth. I. Reposit.* p. 517. Eadem de mulieribus Italis nonnullis memoriæ prodidit, *Happelius T. II. Relat. Curios.* p. 229.

§. X.

De lapillis in serpentum quorundam capitibus latentibus, varia tradiderunt Physici. Multi inter fabulas eosdem referunt, neqve in serpentibus reperiri, sed arte confici asseverant. *Tavernierii* (*) verba è Tomo II. Itinerarii adscribam: Les Indiens sur le rapport de leurs faux prestres disent qu' elle se forme sur la teste de certains serpens: mais la verité est qu' elle se fait d' une certaine composition que peudegens sçavent. Elle est souverai-

---

[*] Variis modis longævitati studuerunt miseri mortales. Audiamus Cl. *Gottl. Sam. Treuerum* An. 1712. cum Serenissimus Brunsvicensium Dux Antonius Ulricus octogesimum ætatis annum ingrederetur, seqventem in modum differentem: „Eant alii multisqve immensæ senectutis adseqvendæ subsidiis se jactent, glorientur cum superbis Sinæ „incolis de radice excellentissima ad vitam longævam faciente, & ab „Imperatore Chinensi sub initium hujus seculi Gallorum monarchæ „commendata, gratulentur sibi cum Helmontio de inventione arboris vitæ, cujus usu terminos mortalitatis transgredi liceat: Placeat „iis Cardani aqva cœlestis, Cartesii diæta mirifica, Bencilonii Juliiqve lactis liquor vivificus, Angliqve cujusdam fides vel potius imaginatio miraculosa iis probetur; adeant cum Hispanis Bojucam „Indiæ Occidentalis Insulam fonte perenni nobilissimam, cujus fonte reparari iuventutem tradiderunt, utantur demum infinitis Chymicorum arcanis, qvibus impendentem vitæ Catastrophen effugere, „vel in seriora ad minimum tempora differe allaborarunt, nihil certè, nihil agunt isti; & ex arena expectant semina, vid. *Lunigii Orat. Procer. Europæ* P. III. pag. 574. Animalia longæva e. g. cervos, serpentes ad vitam conferre longævam per Sympathiam, *Henr. Corn. Agrippa* de phil. occulta cap. XV. p. 25. existimat.

(*) Tavernierii itinera multa recondita, & vulgo ignorata comprehendere, artesqve & secreta qvædam Turcarum feliciter aperire *Conr. Sam. Schurtzfleischius Epist. Arcan.* P. I. pag. 23. fatetur. Celeberrimus iste vir demùm in itinere à patruele circumventus omnibusqve opibus exutus miserè periit, vid. *Tenzelii Colloq. menstr.* An. 1689. p. 1106.

veraine pour guerir la morſure des animaux venimeux: Sila partie qui a eſté offenſeé n'eſt pas en tamée, il faut y faire une petite inciſion a finque leſang en ſorte, & alors on y applique la pierre, qui attire tout le venin quis' amaſſe tout autour, & elle ne tombe que lors qu' elle l'a attiré entierement. Conf. *Journ. des Sçav.* An. 1677. T.V. p. 246. ſqq. *Happelii Relat. Curioſ.* T. 2. p. 79.

§. XI.

De prodigioſæ magnitudinis ſerpentibus *Rob. Knox* in deſcriptione Inſulæ Zeylon, & *Kircherus* (*) in China illuſtrata p. 202, 203. mira referunt, eosqve Cervos cornibus munitos deglutire poſſe, aſſeverant, licet cornua iſta ſæpiuſculè corpus beſtiarum perforent, perniciemqve illis accelerent. Eò pertinent, qvæ memorat *Autor Voyage au Tour du monde* (Amſtelod. 1716. in 8.) T. I. pag. 91. de genere Serpentum in Braſilia Liboya dicto XXX. pedes longo & integrum capreolum uno rictu deglutiente. Dubitat de veritate huius rei Celeberrimus *Ludolpus* Lib. I. Hiſt. Æthiopicæ Cap. XIII. neqve nos tàm rudè iſta arripimus, ſed cervos potius exugendo & diminuendo devorare, credimus, qvod Kircherus l. c. diſertè affirmare videtur. Conf. *Tenzelii Colloq. menſtr.* 1689. p. 786. ſq.

§. XII.

Inter animalia [*] nociva, ob venenum, qvo mordendo vulnera inficiunt, & cruciatus exqviſitiſſimos, imò mortem interdum læſis accelerant, refe-

(*) Recordamur h. l. iudicii, qvod de *Kirchero* eiusque ſcriptis *Rich. Simon, Nouvell. Bibliothec. Choiſie*, T. II. Cap. IV. tulit. Agnoſcit nimirum exquiſitas & eruditas obſervationes in ſcriptis huius viri dari, aſt deſiderat ſoliditatem, cum inſolentium rerum nimis ſtudioſus fuerit. Interdum nimis credulus fuiſſe, videtur, cuius rei fidem faciet hiſtoria iucunda à Celeberrimo *Menckenio de Charlataneria Erudit.* pag. 38. ſq. allata. Muſæum ipſi erat rariſſimis, exoticis, Phyſicis & Mathematicis rebus, inprimis iis, qvæ Antiquitatum Cultoribus lucem fœnerabantur, refertum, cuius deſcriptionem *Philippus Bonanni* An. 1709. in fol. edidit, vid. *den Neuen Bucher-Saal*, P. V. p. 249. ſqq.

[*] Dantur animalia multa venenata, rapacia hominiqve prima fronte nociva, e. g. Tarantula, Scorpio, Baſiliſcus (cuius deſcriptionem

referuntur. Eſt illud venenum ſuccus flavidus aut ſub lingva, aut ipſis dentibus in veſicula vel ſacculo quodam latitans. Ita cum recentioribus Phyſicis affirmanus, aut erramus, vid. *Richard Mead Explication mechaniqve des Poiſons.* Et conf. *Journ. des Sçav.* 1709. p. 370. Novembr. 1705. Menſ. Octobr. p. 1075. *Joh. Linderi* Exercitat. *de Venenis ingenere, & inſpecie*, & conf. *Journ. des Sçav.* 1708. *Menſ. Mart.* pag. 574. ſq. Dantur in America ſerpentes virus peſtilentiſſimum evomentes, ſed à natura matre provida vel Deo potius univerſi hujus parente ac opifice tintinabulis quaſi inſtructi, ut antequam advolent, audiri & evitari poſſint à viatoribus. Galli eos vocant *Serpens à Sonnette.* Lege *Furretiere Dict. Univ.* Tom. III. Artic. *Serpent. Oligeri Jacobæi* Muſæum Regium (Hafniæ edit. 1696. fol.) P. I. Sect. V. Eſt in Solo Congi ſerpens mire virulentus, ſed tanto cum ſtrepitu procedit, ut continuò audiatur, eoque nullo quis negotio periculum evitet, imò venenatiſſimum interimat ſerpentem. Strepitus verò ille inceſſus, ut Petro Jarrico traditum de ſerpentibus Bambæ agenti provenit ex concuſſione lagenulæ, quam in cauda accepit, *Gerh. Joh. Voſſii* verba ſunt, *de Orig. & Progreſſ. Idolol.* Lib. IV. Cap. LIX. p. 115. Neque huius generis ſerpentibus Septentrionales plagæ carent, obſervarunt tamen curioſi viperas in iſtis regionibus repentes non tanta copia veneni ſcatere, nec corporibus reliquorum animalium tot detrimenti inferre poſſe, ſiquidem eôdem adverſus morſus ſerpentinos & inſultus febriles tanquam antidoto utantur. Adſcribam quæ *Mr. de la Roche ex Tranſactionibus philoſophicis Anglicanis*, An. 1714. Tom. I. Angloiſe, P. I. e literis *Cotton Matherii* pag. 103. ſq. excerpſit. *Ils* (ſerpens à Sonnette) *ſe tiennent en hyver dans les fentes de rochers in acceſſibles, & ils en ſortent au prim temps. Comme ils ſont alors extrémement foibles, on tâche de les detruire. La Veſſie du Fiel de ces ſerpens eſt dans ce temps - - - là pleine*

---

ex aſpectu oculari *Mr. de Monconnys*, in Itinerario P. I. pag. 35. ex Edit. Junckeri dedit) Lupus marinus &c. ex quibus Athei & Naturaliſtæ anſam Bonitatem Numinis blaſphemandi aut de eadem planè dubitandi arripiunt. Sed minimè utilitate carent iſta animalia, præbent enim uſum Medicum, & Theologicum. Commonefaciunt nos peccati & lapſus. Et ponas, homini nulli uſui eſſe, quomodo probabis reliquis creaturis non aliquo, licet nobis incognito modo, prodeſſe poſſe? vid. *Mr. Martin Traite, de la Religion naturelle*, Cap. V.

pleine d' un suc acide de coleur d' Azur. On exprime ce suc dans un Verre, mais il est si spiritueux, quil s'evaporeroit bientôt, si l'on ne prenoit le soin de couvrir le Verre sur le champ. En suite on mêle cette liqueur avec une certaine quantité de Chaux pilée, ou avec de la Farine du Païs, & c' est un bon remede pour la morsure de ces serpens. Il est bon pour toutes sortes de Fièvres.

§. XIII.

Remedium adversus serpentum morsus cor serpentis est. Haud gravabimur *Baronis de Valvasor* verba è Parte I. *der Ehre des Herzogthums Crain*, ejusque Lib. III. Cap. XXXVIII. latino idiomate Benevolo Lectori communicare. Eripias matutino tempore ante qvicqvam cibi, qvàm capias é serpente vivo cor, istudqve omni absqve mora devores, & deglutias aqvæ frigidæ portione, qvantam cochlear capere potest, addita: Et per totius vitæ spatium ab omni serpentum vel morsu vel insultu eris immunis, sine periculo potius, & læsione illos capies, & crepundiorum instar in manibus gestabis. Experimentum hoc, pergit Auctor, in me ipso & in aliis probatissimum inveni. Quæ dum scribo, recordari subit *herbæ Habessynicæ*, ea virtute præditæ, ut serpentes deterrimo toxico scatentes enervet, & in somnum profundissimum conjiciat, ut citra metum periculi vel læsionis tolli queant. Quin imo umbra plantæ rarissimæ viperas langvidas & innocuas reddit. Radice illius, qui vescitur, medios inter serpentes ambulare, & angvillarum instar manibus eos tractare potest. *Assazoë* herbæ huic nomen est, vid. *Jobi Ludolfi Comment. ad Hist. Æthiopicam* Part. I. Cap. IX. Forsan remediis ejusmodi Circulatores (*) & Circumforanei utuntur. Psyllos veteres plantam Assazoë non ignorasse, Ludolfus conjicit,

(*) De circumforaneorum & Empiricorum variis glaucomatibus vulgus allicientium origine, vid. *Barthol. Castelli*, vel potius *Jacobi Pancratii Brunonis* Lexicon Medicum Artic. *Agyrta*. De iis, qvi carbones ignitos ori intulerunt, ignemqve comedere visi fuerunt, vid. *Journ. des Sçav.* T. V. An. 1677. pag. 54. sq. p. 222. sqq. Conf. si placet, quæ de Circulatorum præstigiis è *Job. Bodini Dialogo de Rerum sublimium Arcanis* T. III. *Observationum Miscellanearum* pag. 106. notavimus, adde *Wierum L. II. de Præstig. Dæmonum*, Cap. VI. pag. 120. sq.

§. XIV.

Admiratione digna ſunt, qvæ *Nicolaus Lemery*, Traité Univerſ. *des Drogues ſimples miſes en Ordre* Alphabetiqve (An. 1714. altera vice edit. in 4to.) Artic. *ſerpens* p. 786. de angvibus, in monte *Kupferberg* (*) XXIV. lapides ab Holmia ſito, refert. Dicit nimirum, eos colorem cupreum, rubicundum præ ſe ferre, fragili verò pelle, & nullo pene veneno inſtructos eſſe. Qvod ſi ſerpentes tales virga vel baculo ferias, vitri inſtar ſtatim in fruſta diſſolvuntur, ita tamen, ut particulæ fractæ per longum temporis ſpatium ſeſe moveant, & vitam retineant. Fides ſit penes Auctorem, qui teſtem nullum allegat.

§. XV.

Ludolfus (**) l. c. Cap. XIII. varia de ſerpentibus veterum domeſticis memoriæ prodidit. Omni carebant veneno, pueris & mulieribus erant in deliciis, & harum mammas infantum ad morem ſugebant. Serpentes in Inſula *Formoſa* ita familiares ſunt incolis, ut corpora eorum cingant, & veſtimentorum inſtar legant, vid. *Deſcription de l' Isle Formoſa en Aſie, Amſtelod.* An. 1705. edit. & conf. *Journ. des Sçav.* 1706. p. 153. ſq.

§. XVI.

Cæterum, planta iſta Abeſſynica, de virtute verbi divini nos commonefacere poteſt. Hoc ſi te munieris, ab infernalis ſerpentis inſultibus venenoqve illius tutus eris.

(*) A monte iſto oppidum haud adeò ſplendidum in Normandia nomen ſuum ſortitum, eſt probè ſecernendum ab alio in Sileſia, Principatu nimirum *Jauerenſi* pariter *Kupferberg* dicto.

(**) Vitam illuſtris viri *Jobi Ludolfi*, *Chriſtianus Junckerus*, An. 1710. Lipſiæ edidit. Sub vitæ finem Saxoniæ Ducum intimi Conſiliarii dignitate gaviſus eſt, Electori Palatino à Conſiliis & directione Cameræ fuit, Saxoniæ verò Electorum negotia Reſidentis nomine Francofurti curavit, ibiqve An. MDCCIV. diem ſuum obiit Vir multarum rerum vaſta ſcientia & notitia XXV. lingvarum ſupra vernaculam. Inter ſcripta ejus facilè eminet *Commentarius ad Hiſtoriam Æthiopicam*, An. 1691. in lucem prolatus, de quo Celeberrimi *Actorum Eruditorum* Lipſienſium Collectores An. MDCXCI. menſ. Auguſt. p. 361. ita: „Continet is non ſolum uberiorem expoſitionem rerum ad Hiſtoriam „Æthiopicam ac deſcriptionem Æthiopiæ pertinentium, & refutationem

§. XVI.

Comitia ſerpentes annuatim celebrare creduntur. Auctor Holmiæ literatæ An. MDCCII. nunciabat, celeberrimum Regis Sveciæ Archiatrum, *Urbanum Hiarne*, elegantem Hiſtoriam conventuum horum anniverſariorum, qvos ſerpentes è remotiſſimis ſeptentrionis locis congregati judicii ſolennis exercendi cauſa inſtituant, meditari, ſed illa, qvod ego qvidem ſciam, nondum prodiit. Cæterum, de hiſce comitiis ita fabulantur: ſerpens noxæ cuiuscunqve reus lapillos primum deglutire iubetur, tandem criminis poſt longum examen convictus, ad caput usqve à reliqvis devoratur.

§. XVII.

Sufficiant nunc Miſcellanea! Plura coacervare haud animus eſt. Forte & iſta ad doctum Cenſorum palatum non ſunt futura, qui Locos communes nos excuſſiſſe, clamabunt. Rectè iudicabunt, neque tamen rem acu tangent. Non enim paginæ Sectioni huic deſtinatæ ſufficerent, ſi omnia quæ de ſerpentibus annotavimus, variisque Virorum doctiſſimorum è ſcriptis congeſſimus, huc transferre animus foret. Coronidis modo & Appendicis loco hæcce adiicere, nimirum & delectare & prodeſſe voluimus, ſi potuimus, potuimus autem per Immortalis ſoliusqve veri Numinis clementiam. Iſtud conterat Satanam ſerpentem antiqvum ſub noſtros, omniumqve Lectorum pedes, per Chriſtum Semen mulieris!

---

contrariorum cum documentis, epiſtolis, & actis publicis in primo „ opere promiſſis. Sed etiam multa ſingularia & qvædam planè nova „ ad varias eruditionis partes ſpectantia - - Laudat eundem *Schurtz-* „ *fleiſchius* P. I. Epiſt. Arcan. p. 138. ſq. De tanto viro Simonius pro more iniqvè judicat, eumqve Æthiopum opiniones ad Lutheranorum placita ſæpius detorſiſſe, qveritur; ſed rectius alii ſentire didicerunt, Ludolfumque primum lingvæ Æthiopicæ inter Chriſtianos magiſtrum, nec non virum meritis in bonas literas illuſtrem, & ſemper honoris cauſa nominandum ſalutarunt. Plura de noſtro dabunt *Jac. Frid. Reimannus Hiſt. Liter.* P. V. p. 538. ſq. *Biblioth. Nova Halenſis* T. I. p. 302. - - 321.

F I N I S.